Digitized by Google

Digitized by Google

G=2=10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

5037

ΤΟ' Α'ΛΑΣ ΤΗ'Σ ΓΗ'Σ.

*SIVE,*

# APOLOGIA

PRO

# MINISTERIO EVANGELICO,

In quâ planè & plenè ostenditur ejus Necessitas, Dignitas, Efficacia & Utilitas; contra Socinianos, Arminianos, Suenckfeldianos, Erastianos, Anerchas, Familistas, Quæristas, Anabaptistas, Antinomistas, Parilistas, vulgò vocatos Levellers: nec non quàmplurimos alios ejusdem maniæ.

*Hic, Textus complures enodantur, Adversariorum Strophæ refelluntur, Decimarum æquitas evincitur, Direptionis earum iniquitas demonstratur, & nonnulli Casus-Conscientiæ obiter tractantur, &c.*

*AUTHORE*

THOMA HALLO, S.T.B. Ecclesiæ Norton-Regis Pastore.

Luc.10,16. Qui vos audit,me audit;& qui vos spernit,me spernit.
Matth.28,20. Ecce, ego vobiscum sum, omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

Sole & Sale nihil utilius.

*In calce operis annexa est dissertatio, una; de Activa Christi obedientiâ, Altera; de Perseverantia Sanctorum.*

Dubium non est, quin iniquissimè agat, si quis, quæ ad sustentationem Ministrorum, Ministeriiq; Ecclesiastici conservationem, item ad Doctorum Scholarumq; necessitates constituta fuerunt, ea ad suum lucrum & commodum convertat. Zanch. in 4. Præcept. l.1.c.19.

*FRANCOFURTI,*
Ex Officina SAMUELIS BROUN, Bibl. Anglici.

ANNO M DC LVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

*Reverendis Symmystis, Viris ornatissimis, Pastoribus vigilantissimis, Hæreticorum malleis, Schismaticorum flagellis, Ecclesiæ labascentis fulcris, divinæ Veritatis Propugnatoribus notissimis, tàm Doctrinâ & Pietate, quàm Vnitate & Syncretismo conspicuis:*

Dno. Dri. Joh. Brian, Dno. Dri. Obad Grevv, D. Joh. Ley, D. Dan. Eyres, D. Ant. Woodhull, D. Rob. Morton, D. Joh. Dovvley, D. Joh. Trapp, D. Hen. Butler, D. Tho. Dugard, D. Alex. Beane, D. Lucæ Myllbourne, D. Simoni Dingly, D. Sam. Tickner, D. Joh. Haddon, D. Jos. Packvvood, D. Laurent. Bott, D. Tho. Evance, D. Dudly Ryder, D. Sam. Havves; Cæterisque Presbyterii Kenelvvorthiensis in Comitatu Warvvicensi,

*Patribus Venerandis, Fratribus Charissimis,*
*πανευδαιμονειν.*

Apologiam hanc qualemcunque, unà cum Diatribis de Christi Justitia, deque Perseverantia Sanctorum; in perpetuum Amoris & syncer æ Observantiæ μνημόσυνον, Libens meritoque

*D. D. D.*

Sympresbyter Vester devotissimus, & Collega devinctissimus

THO. HALL.

Digitized by Google

TRactatum hunc de Sale Ministerii, (ex optione perdocti Scriptoris) attentè perlegi; idque jucundè pariter ac fructuosè: quia ad gratissimum saporem (Sale spirituali) condîtus est, & utilium documentorum ubertate refertus. Hunc cum prodeat in publicum, non sum animi dubius quin sit Lectori (cui festivum est palatum) placiturus; & cui cordi & curæ est legendo erudiri, profuturus: Veritatem enim apprimè scitu necessariam, & venenatis veterum & modernorum hæreticorum spiculis atrociter petitam, solerter & nervosè propugnat, dogmata (sanæ fidei & bonis moribus contraria) strenuè prosternit; doctis & fidelibus verbi Dei Ministris, Salarium sufficiens, fixum, honorificum, prudenter asserit, & potenter astruit. Utque tali mercede digni habeantur, hortamentis ad officium pascendi (Verbo & Exemplo) efficacibus excitat: indignos salsè & severè perstringit, præsertim eos qui nec competenter dotati, nec legitimè vocati, sacro Ministerio sese importunè & impudenter ingerunt: quasi (ut Erasmus de quibusdam sui temporis blateronibus quæritur) nihil aliud requiratur à quopiam (ut sit idoneus verbi dispensator) quàm frontem perfricando pudorem abstergere, & linguam volvendo,

Digitized by Google

vendo, imperitam & desipientem plebeculam, decipere: quæ spretis veris & antiqui moris Pastoribus ut ne dignentur eos audire, hujusmodi novellis impostoribus aures præbent patulas. Ut summatim dicam, sic fert animus, de libro sententiam (quam sum rogatus) ferre. Authoris ingenium viridum & vegetum, animum præsentem, orthodoxâ Theologiâ eximiè excultũ, synceram pietatem, Spiritum Zelo velut igne (sed in camino non in tecto) flagrantem ubique exhibet. Ita sentit, salvo doctiorum judicio.

*E Museo meo Soli-Hullia*
*Feb. 28. 1655.*

JOHANNES LEY.



Digitized by Google

*Viro Ornatissimo, Fratri charissimo,*
D. THOMAE HALLO.

QVæ lacte presso nobilis semper fuit
Nortona Regis nunc Salem jactat
suum.
Quo suaviores non putat quasvis dapes;
Quo chariora non habet sua lumina,
Is Hallus est: quo non amantior sui
Studiosiórve Pastor est usquam gregis.
Grex perbeate, gratulor tibi Salem.
Sic æstimare, sic amare pergito
Quem Numinis tibi favor summus dedit.
Felicitatis erit Sigillum illud tuæ.
Sal perbeate, gratulor tibi gregem,
Sic haurientem dicta pronis auribus,
Sic imprimentem fortiter vestigia
Tua præeuntis, sic paratum te sequi
Quocunq; visum fuerit illum ducere.
Sunt nunc dierum è Fratribus vel optimis
Pauci admodùm qui gaudiũ gaudent tuũ.
Minuuntur eheu plurimis sui greges.
Alii relictis turpiter Pastoribus
Propriis, piisque aliena captant pabula.
Sua scilicet redargui non sustinent
Admissa, pravè conscii, aut non ut sua.
Pars magna Christi nunciis renunciat,
A se creatos prædicans doctorculos;
Quos stulta credit Theologos Seraphicos,
Quum sint inanes, futiles, mera nomina.
Et hæc futura major est magnâ brevi,
Grassante sic impunè hypocritâ lupo:
Ut ista quæ perfectionem somnians

Sese

Sese retraxit ab omnibus prorsus sacris,
Tempusque sanctū transigit sicut boves.
Quas bestias, quæ Monstra gignit Anglia!
Ac integro gaudere queis datur grege
Verique nondum devio, est ingens dolor
Videre Macrum in pascuis præpinguibus,
Arare littus, fructuum nil cernere.
Miseresce tu dolentibus; qui, (uti
decet,)
Feliciore sorte lætantur tuâ;
Tibique gratulantur ut pingues oves
Silengeni pulcherrimos fœtus tui.
Nam perplacent qui prodierunt hactenus:
Queis vindicâsti pulpitum & fontem sacrum,
Simul piissimâ Parente Academiâ;
Et sanctitatis extulisti insignia:
Et dexterè nimias totondisti Comas,
Insigne Magnæ opprobrium Britanniæ.
Aequè placebit, auguror, quem publicâ
Jam luce donas hic Libellulus triplex.
Quorum ultimus te ut *Perseveres* admonet,
Et subsequentes flagitat fraterculos.
Nil te additurum sunt minaciæ; tamen
Fac *Perseveres*, & parem parias frequens.

THO. DUGARD. A.M.R.B.

*Viro*

*Viro dignissimo*

## D. THOMÆ HALLO.

OPtime Vir, Veri rectique acerrime Vindex!
Quid tibi pro tãtis reddere coner ego?
Quod rectum & verum est, quod verum non sine Recto
Quæritur: at quis non debet utrumque tibi?
Si quæ unus reprimis, si quæ asseris omnia spectet,
Attamen ingratus nemo coactus erit.
Néve malum & miserum tua me benefacta valebunt
Reddere, qui nequeo digna referre tuis.
Nempe tuas laudes docti divique loquuntur;
Ut mihi dum sileo sit voluisse satis

Tuus GUL. WARNER,
A.M. Pastore de Croome.

SVBSE-

Digitized by Google

# SVBSEQVENTIS OPVSCVLI
## *Synopsis & quasi* Σκιαγραφία.

**Thesis ipsa.**

- 1. Proponitur. c. 1. Ubi Ministerii Evangel. Necessitas, &c. ostenditur.
- 2. Exponitur.
  - 1. ὅτι, à Salis Natura, & 16. Proprietatibus.
  - 2. à Titulis Honorificis, quibus insigniuntur Pastores Ecclesiastici. cap. 2.
- 3. Probatur.
  - διότι, ubi Rationibus evincitur Ministerii dignitas & necessitas. cap. 3.
  - idq; 1. Necessitate
    - Præcepti.
    - &
    - Medii.
  - 2. Ab usu & fine Ministerii.
  - 3. A morbis & miseriis nostris.
  - 4. A damno.
- 4. Applicatur.
  - 1. Ad διδασκαλίαν, de Ministerii duratione. cap. 4.
    - Idq; tractatur
      - 1. Κατασκευαστικῶς, veritatem confirmando, 9. Argum.
      - 2. Ἀνασκευαστικῶς, Anabaptistarum offucias refutando. cap. 5.
  - 2. Ad παιδείαν quadruplicem.
    - 1. De absoluta Minist. Necessitate. cap. 6.
    - 2. De Minist. Dignitate, ubi additur. 2. cautio.
      - 1. contra sal insipidum.
      - 2. contra fratres dotatos.
    - 3. De Academiarum necessitate.
    - 4. De Salsi Ministerii efficacia.
  - 3. Ad παράκλησιν, Sanis & sapidis Verbi Ministris, adversus ingrati mundi odium & contemptum. cap. 7.
  - 4. Ad ἐπανόρθωσιν, ubi fanaticorum deliria contra Ministrorum stipendia plenè ventilantur, nec non salarium Sufficiens, Honorificum, fixum iis esse debitum tàm Jure Divino, quàm Jure Humano, in foro Poli, & in foro Soli, plusquam 20. Argumentis demonstratur. cap. 9.
  - 5. Ad προτροπήν. cap. 10. ubi excitantur Pastores ad Pascendum & saliendum, simúlq; ostenditur, debere hoc fieri.
    - 1. Exemplariter & Vitâ.
    - 2. Ministerialiter & Voce.
    - 3. Diligenter.
    - 4. Audacter.
    - 5. Amanter.
    - 6. Ardenter.
    - 7. Purè.
    - 8. Planè.
    - 9. Plenè.
    - 10. Sincerè.

Digitized by Google

*Viro Clarissimo & admodum reverendo, Symmystæ nostro,*

# D. THO. HALL. T. B.

*de Ecclesiâ de ministerio, de literis optimè merito.*

χαίρειν ϗ εἰρήνην.

GRatulamur tibi (vir ornatissime, frater colendissime) te θηριομαχίαν hanc (exemplo planè Apostolico, 1 cor. 15.) tempore tam opportuno, tam feliciter confecisse. Non est quod miremur homines illiberales, ineptos, impios, eruditionis pariter ac rationis expertes, doctrinam & doctos afflictim pro more adoriri, opprobriis insectari, convitiis lacerare; præcipuè quum in eas postremorum ideoq; deterrimorum temporum fæces nos incidisse constat in quibus hujus farinæ homunciones turmatim contra veritatem orituros prædixit Apostolus. Lætamur autem & Deo opt. Max. gratias agimus, literas & literatos talem obtinuisse propugnatorem, qui humanarum literarum non modo dignitatem, sed utilitatem, & quodammodo necessitatem ad ministerii Evangelici munus obeundum cogentissimis obfirmâsti argumentis; qui ἀράχνια illa (quæ ad implicandam veritatem texuit Adversarius) sanæ rationis vel solo halitu difflâsti; qui nobis ab humanæ literaturæ sive contemptu sive abusu monitorum Decade optimè cavisti; qui filum Ariadneum quo tutius & facilius S. S. Scripturæ Labyrinthos penetrare & permeare licet, exhibuisti; qui denique cælestis istius fontis signati dulcissimum nobis nectar propinâsti, & horti conclusi suavissimos hinc inde florum fasciculos collegisti. Hinc etiam nobis spem non mediocrem fecisti, veritatem & literas humaniores, te vivo, nunquam esse ab hostibus impunè lacessendas. Te igitur obnixè rogamus, ut



Digitized by Google

Spartam quam nactus es, fortiter (ut facis) defendas, Et Quo pede cœpisti, sic bene semper eas.

Quod labor hic tuus, meliori dignus, ad nostrum confugiat patrocinium, nec est in ipso, quod indigeat, nec in nobis quod mereamur. Istius modi enim est, qui & sibi ipsi, & nobis, nostræque, quam suscepimus, causæ abundè patrocinatur. Ideoque majori, eo nomine, nos gratiarum mole onustos facilè sentimus, quod nomina nostra honore tanto minime digna libro tuo præfigere dignatus fueris. Faxit Deus ut quem in nos honorem, quas laudes immeritò contuleris, in illum transferamus, ad cujus pedes (capitibus denudatis) Seniores isti coronas suas in æternum deponunt. Nos quod spectat, onus nobis (at nimium imparibus) gravissimum incumbit, cui subeundo vel Atlantici vix sufficiant humeri (imo ad quod magnus ille Gentium Apostolus jam olim questus fuerat, & si adhuc in vivis esset τίς ἱκανὸς denuo exclamaret) cura Scil. (non ut illi omnium sed) multarum quidem Ecclesiarum. Vineis aliorum invigilandis destinati, ad nostras ipsorum custodiendas admodum imbecilles; alios in messem Domini emittendos curamus, ipsi ut emitteremur penitus indigni. Et quo adhuc ingravescit onus, altiori loco constituti. Deo, Angelis & hominibus sumus spectaculo. Hinc enim Diotrepheæ cujusdam arrogantiæ miseri arguimur, quasi nos ex ὁnibus fereperitissimis hujus ecclesiæ navarchis soli essemus digni qui preæsse- mus & regiminis clavum teneremus. Illinc exoso πολυπραγμοσύνης crimine damnamur, quasi rebus nos met alienis immiscendi libido ad hoc opus aggrediendũ impulisset. Hinc obstrepunt Hæretici cũ suis Coriphæis vociferantes, nos muros Babylonicos reædificare, Bestiæ thronum stabilire, conscientiis jugũ imponere, omnia denique sub arbitrio nostro redigerè velle: hæc hominibus suadent & ferè persuadent. Nihil ab his Gentis nostræ maculis, nisi Baalis sacerdotes, membra Antichristi, Diaboli filios, ignavum pecus, hominum genus

nus segnitie, superbiâ, avaritiâ prorsus immersum præstigiatores, versicolores & vel audimus, ne vel expectamus quidem. Illinc Atheos bibones, adulteros, & universam nequiorum hominum turbam uno ore (quasi tot Sodomitas) palam conclamantes audias, Quid sibi volunt Ardeliones isti? num judices agent? coram Tribunali sistent? Libidinum nobis fines statuent? Disrumpamus istorum lora, et projiciamus a nobis densos eorum funes. Vtrinque confusus promiscui agminis clamor percellit aures, nos omnia subversuros, & durum servitutis jugum hominibus imposituros. Nec desunt qui Magistratui [incæptis nostris vix satis annuenti rebusque civilibus nos non benè velle obmurmurant. At quid de Hæresiarchis, de Atheis, de fæcibus hominũ, loquimur? quum eadem fère ab ipsis religiosis (utinã & non a pluribus ejusdem cũ nobis muneris) haud obscurè audimus. Hæc pestis passim scintillat, quæ tibi, quæ nobis exitium minitatur. Et tantæ quidem hinc nostris conatibus moræ, sunt injectæ ut quandoque operis cæpti nos ferè pænitet, ita ut tantum non stationem nostram deferimus. Speramus tamen sanctèque recipimus [annuente Deo] nos manus nostras Christi aratro admotas non retracturos, donec ipse messis dominus sive morte, sive alio quolibet modo nos manumittat, ad utrumque parati. Ferre jugum, jugulum dare. Quod ut viriliter perficiamus, Deum omnis gratiæ largitorem ardentius a te rogatum vehementer cupimus, ut vires cæptis & susceptis nostris idoneas suppeditet, faxitque ut plures, iidemque nobis multo digniores, operi huic languescenti suffragentur. Apologiam quam ultro es pollicitus, Deo & Ecclesiæ gratam fore nil dubites; quum enim ab omni parte calumniarum spiculis configamur, nec id solum, sed & Stipendium, & ipsum, quo fungimur officium in dubium vocetur, justam & necessariam Apologiæ causam, nemo non iniquus rerum arbiter inficias ibit. Conclamant undique Adversarii,

& ne

& nos omninò tacebimus? Ignominiarũ cœno conspurcant, quidni justo Apologiæ penicillo sordes injectas abluamus? Novimus jam quantũ sit malum interminata in rebus divinis ἀυτονομία; hoc tamẽ in tanto malo inest boni [si quid saltem bonis inesse possit] ut quam omnibus ad opiniones disseminandas licentiam indulgeri videamus, nos & idem ad res Christi & Ecclesiæ tuendas jure vendicemus. Prodeat igitur Apologia, cumque in justos menses accreverit, obstetricante Deo, felicem partum obtineat. Nos interim apud Patrem, per Filium, adjuvante Spiritu, precibus pro virili contendemus, & laboribus tuis in honorem Dei & animarum salutem impensis obsecundet; ut causam hanc [nec tui nec alîus cujuspiam hominis sed Christi & Ecclesiæ] quanto ardore & zelo, tanta sobrietate & modestiâ feliciter agas, peragasque. Deus porrò non tuam modo sed & omnium fidelium Evangelii ministrorum pharetras liberorum sagittis ita repleat, ut non erubescant, sed cum inimicis in portâ impavide colloquantur, teque quam plurimis in dies filiis augeat, qui in Ecclesiâ patres & principes evadant. Ad Summam certamine, confecto, cursuque ad metam perducto, immarcessentem gloriæ coronam capiti tuo pastorum princeps imponat, quibus votis animitus suffragantur.

*Fratres in Christo & in opere Christi tibi addictissimi, Classis Wirks Worthiens. Sympresbyteri.*

*Joh. Otefeld. ejusdem Classis Sympresbyter indignissimus, ex tui tamen intime amantibus.*

*Fratrum reverendorum & perdilectorum jussu.*

*Wirksw. Calend. Aug.*
1655

*Sal*

Digitized by Google

# *SAL TERRÆ,*

## SIVE

# VIS ET EFFICACIA MINISTERII EVANGELICI.

***Matth.5,13.***

Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς.

*Vos estis Sal terræ.*

TExtus quò magis accommodus, eò magis commodus; quò tempori congruentior, eò melior. Pastores Evangelici (neminem, ut opinor, latet) hac præcipuè tempestate, ubique conculcantur, susque déque à nefariis habentur; inclamant undiq; fanatici, plenis vociferantur buccis, Hi, impostores populi, Pestes mundi, fæces hominum, Sacerdotes Baalitici, Locustæ infernales, Antichristi membra, Venefici, Latrones, Mendaces, Viperarum progenies, rapaces lupi, Parietes dealbati, Mercatores Babylonici, Loyolistæ furibundi, hypocritæ rancidi, canes rabidi, Simones Magi, Dæmones immundi, ut ogganiunt nonnulli Dæmonum mastigiæ. Hos omnes uno

fefellit verbo Salvator noster, Vos estis (non Regnorum perturbatores, non Regum Proditores, non mundi Pestes, non urbis περίψημα, non orbis περικαθάρματα, sed estis) mundi Sol, terræ Sal. Ὑμεῖς ἐστε τὸ ἅλας τῆς γῆς.

Quæ *Verba ut* facilius interpretemur, contextu fimemur. In hac secunda hujus capitis Pericope, ostendit Christus tribus Emphaticis Metaphoris vel Similitudinibus, vid. Salis, Lucis, & oppidi in mōte positi; quales esse debeant Ministri sui, (1) non tantum Doctores, sed & Factores; non solum habeant Salem doctrinæ, sed & lucem vitæ: Sole vero & *Sale nihil utilius*. Salis Metaphora graphice demonstrat necessitatem, vim, efficatiam & fructum Ministerii Evangelici: Sicut enim Sale conditur caro ne putrescat; ita Ministerio verbi animæ condiuntur nostræ, ne putredine corrumpantur.

Figurato utitur sermone, q. figuræ plerumque habent plus ponderis & acrimoniæ quā simplicia verba. Paræus.

Textus ipse est Propositio Categorica, constās ex Subjecto, Prædicato, & Copula. 1. Subjectum est Vos, (1) Vos discipuli mei unà cum successoribus vestris, vid. omnibus Evangelii præconibus. 2. Copula, Estis, non posteà eritis, sed in præsenti, electione, & vocatione, ne nimirum Christi, Estis. 3. Prædicatum, Sal terræ, (1) condimentum hominum in terris viventium: nam ut Sal est condimentum

Verba sunt pauca, at valde emphatica.

Intelligit eorum esse munus Sa-

quod-

quoddam cibi; ita Præcones Evangelici ab officio suo dicuntur Sal, non propriè, sed metaphoricè & analogicè, quia voce & vitâ exemplari alios condiunt, ut à vitiorum putredine serventur, & virtutis sapore imbuantur. Inde nuncupantur, τὸ ἅλας, articulus est emphaticus, (i) *illud* * *Sal*, vid. longè præstantissimum atque excellentissimum, cum quo cætera Salis genera non sunt conferenda. Ita quod proprium est doctrinæ, Apostolis doctrinæ dispensatoribus ascribit Christus: nec vocat eos Sal unius Insulæ vel urbis, sed Sal totius Orbis; Vos estis Sal * Terræ, (i) hominum in terris degentium; quo tacitè eos præfert Prophetis, qui fuere Sal solius Judææ, Apostoli verò totius Terræ. Matth. 28, 19. Quin etiam in verbis est tacita, virtualis, & interpretativa promissio, ostendens Vim & Efficatiam Ministerii Evangelici ad condiendum mundum, eumque à putredine & corruptione servandum. q. d. Vos Apostoli mei & omnes Pastores Ecclesiæ, respectu Ministerii vestri, vel doctrinæ quam prædicatis (i) Legis & Evangelii, homines à peccati putrefactione liberatis, eosque Deo cui non placebant, sapidos & acceptos redditis. En Ministerii Evangelici utilitas & necessitas!

lire terram, quia nihil nisi insipidum habeat homines, donec sale cœlestis doctrinæ condiantur. Calvin.

* Sal est tam neutrius, quàm masc. gen.

* Meton. Subjecti.

Aderò ministerio vestro, benedictione, gratiâ, & efficatiâ spiritus, ut labor vester non sit frustraneus. Chemnit.

Ex qua hypothesi emergit hæc Thesis,

Pastores Evangelici sunt Sal mundi.

Thesis proposita

Probatur hoc 1. à Natura, proprietatibus, & multimodâ Salis Virtute. Deinde à nominibus in Sacra Scriptura Pastoribus Evangelicis datis. 3. Argumentis.

Ἀπόδειξις, seu demonstratio Theseos propositæ.

1. Prima Salis proprietas, est insipida condire; nam Sal est condimentum apprimè utile & necessarium, ut non immeritò appelletur, condimentorum condimentum, & opsoniorum opsonium. multa sunt aromata quibus sine detrimento vitæ carere possumus; at sine Sale difficillimum est vivere.

Non sapit esca probè quæ datur absque Sale. Sus quid habet præter escam? cui ne putresceret, animam pro Sale datam esse; dixit Cicero l. 2. de Nat. Deorum.

Hoc cibos condit, sapidosque reddit, absque hoc omnia sunt insipida & ingrata: unde nuncupatur Naturæ balsamũ, & anima corporũ: proinde Natura omnibus penè mistis Sal prudenter immiscuit, ut ea condiat, & à corruptione vindicet; greges enim pecorum urinam salsissimam effundere videmus, & in omnes stirpes salem effusum, &c. Ita Ministerium Evangelicum est mundi condimentum, terræ balsamum, sine quo perdita & deplorata est nostra conditio. cur enim vitiis fætent homines, cur scatent erroribus, nisi quòd hoc sale non sint conspersi? Tota nostra natura absque hoc, est insalsa & insipida, nauseabunda & Deo planè odiosa. [Psal. 14, 1. 2. 3.] Quid mundi sapientia

Digitized by Google

tia ſine hoc condimento, niſi mera ſtultitia? quid virtutes morales, niſi ſplendida peccata? hinc nulla victima fuit Deo grata, niſi Sale condita. Levit. 2, 13. & omnia Sale condiuntur, ut inde gratus ſapor illis concilietur. Job. 6, 6. nunquid comeditur inſipidum abſque Sale? q. d. numquis delectatur cibo nullo Sale condito? itaque ut Sal dicitur Gratia, quippe abſque hoc omnia videntur ingrata; ita ſublato verbo miniſterio, mûdana omnia fiunt inſipida; gaudia mutantur in mœrorem, mundi theſauri vertuntur in ſtercora; de iis omnibus querendum eſt, ut de amicis doloſis conqueritur Job. [16, 2. & 13, 4.] conſolatores moleſti omnes eſtis, medici nihili. Neceſſe eſt itáque ut homines hoc cœleſti ſale condiantur, ne corrumpantur; nullum enim exſtat præſtantius remedium quo corda noſtra putrida, corrupta, ſanioſa & graveolentia ſanantur & à putredine vindicantur, quam ſalſum & ſapidum Verbi Miniſterium.

2. Altera Salis proprietas eſt Acrimonia. Sal acredine ſuâ mordet, urit, penetrat, pungit. Debilitas mordacitatis eſt vitium Salis. Ita Prædicatio Legis mordet & urit peccatorum conſcientias [Act. 2, 37.] ut quærant lenimentum in Evangelio. Hoc ſanos & ſapidos reddit homines; ideò Paulus dedit Tito in mandatis

Vim habet abſtergẽdi, expurgãdi, aſtringendi, diſſipandi, attenuandi Magirus.

ut hoc Sale conspergeret Cretenses. Tit. 1,13. redarguite eos præcisè, ut sani sint in fide. Uti Elizæus Salem injiciendo in scaturiginem malarum aquarum, persanavit eas: 2.Reg.2,20.21.22. ita corda nostra putida & sterilia Sale Verbi & Spiritûs Dei salita, redduntur Deo suavia & accepta. Quin etiam ut Sal acore & calore suo penetrat, attenuat, & totam subigit massam; ita nihil penetrantius verbo Dei, est enim λόγος κριτικὸς, quovis gladio ancipiti penetrantior. Heb.4,12. Hos. 6,5.

'Αποτόμως, (1) ad vivum, severè, rigidè. à Lap.

3. Sal putredini resistit, acris est & consumit quicquid in corpore vitiosi est; humores putridos & excrementitios, quibus caro est infecta, exugit; partes substantiales consolidat, nativam virtutem colligendo, poros ac meatus concludendo, extraneas aëris injurias repellendo, &c. Ita Ministri Christi Salis officio funguntur, peccatum eradicando, hoc enim est animæ putredo & vitiosus quidã humor longè latéque serpens; Verbi Sal humorem hunc *exulcerantem* & noxium expellit, errores redarguendo, pravas Veteris Adami concupiscentias consumendo; novum hominem veluti spirituali quadam testâ contra omnes injurias muniendo. Sedulò itaque & assiduè aspergendus est hic Sal Terræ, ostendendo

Quid

Quid & Quale sit peccatum, non clamores & plausus populi, sed planctus & gemitus suscitentur; malim enim ut fremant & frendant homines, quàm ut sub nostro dormiant Ministerio; Lacrymæ auditorum sunt laudes nostræ. Hinc tantopere in Sacris Scripturis commendatur Sal, quia denotat Mortificationem illam quæ fluentes & molles corporis delicias, unà cum titillantibus voluptatibus constringit & cohibet; facitque ut in carne, immoderati carnis affectus non ebulliãt. Hæc virtus id præstat in animo, quod Sal in corpore, qui putere non sinit, aut putrescere carnes, quæ si non essent à Sale duratæ, solverentur in saniem.

4. Sitim & appetitum excitat, hinc tantus ejus usus est in cibis, ut sine eo propè vivere nesciamus: admixtus ipsum panem condit, nec ad cibum tantùm sed ad potum quoque condimenti vim Sal habet. Proinde in eodem fano Neptunus & Ceres habentur. Ita salsum & sapidum verbi Ministerium verum cælestium sitim & appetitum plurimùm excitat, Act. 2, 37. & 16, 30.

Appetitum cibi acuit Salis acrimonia. Plut.

5. Sal est Sapientiæ Symbolum. Hinc vulgò sapientes dicuntur Salsi; stulti verò insulsi & insipidi. Ita argutè dicta dicuntur *Sales*, transit enim hoc ad animi voluptates, omnis sermonis lepos &

Quis habet Salem qui in te est? Teren. omne quod



Digitized by Google

salsum, est Atticum. Cicero.

Pastor habeat duos Sales; 1. Scientiæ, ne sit insipidus; 2. Conscientiæ, ne sit Diabolicus

summa hilaritas, appellantur Sales. Ita Verbi præcones insulsos mundi mores corrigunt, sapidósque efficiunt. Tolle hoc condimentum, & tollitur omnis Realis sapientia. Jerem. 8, 9. ecce verbum Jehovæ spernunt, cujus igitur rei sapientia esset eis?

6. Sal, durationis, perpetuitatis & incorruptionis est Symbolum. Hoc, indurat & in longum conservat materiam fluxam & friabilem. Hoc, defuncta & putrescentia corpora ita vindicat à corruptione, ut durent ea per sæcula: Teste * Plinio. Unde fædus perpetuum, vocatur fædus Salis [Numer. 18, 19. 2. Chron. 13, 5.] dabo regnum Davidi pacto Salis. (1.) pacto stabili & à corruptione alieno. Sic uxor Lothi in statuam Salis conversa fuit, non tantùm ut nobis condimenti instar esset; sed ut stabile & perpetuum exstaret monumentum judicii divini. Ita Pactum ab Apostolis annuntiatum, verè fuit Pactum Salis, vel ipsis columnis terræ, & cæli Polis stabilius; tum quia Pactum Gratiæ, tum quia pactum perpetuum. Deinde significat, unumquemque fidelium ita in fædere Dei per fidem esse confirmatum, ut afflictionum Sale contra omnis gneneris tentationes & insultus tutò conserventur. Imò *Sal hoc celeste* longè præ-

* Lib. 31. c. 7.

Digitized by Google

præſtat Sal illud terreſtre; nam Sal terreſtre ad diuturnitatem aliquam ſervat; Miniſterii verò Sal ad æternitatem: *Sal iſte* carnes & cibos adhuc à fætore liberos, à fætore vindicat: at hoc Sal cæleſte, homines jam ante naturâ fætidos & putres, à fætore & putredine eximit.

7. Sal eſt amicitiæ Symbolum. Hoc membrorum inter ſe amicitiam conſervat, & corporis harmoniam à tabe defendit, ideò dicitur corporis anima; nam ut anima non ſinit compaginem dilabi; ita Sal tabem ac putrefactionem à corporibus vitâ deſtitutis, arcet: nec ſinit prorſus interire, diu morti veluti reſiſtens, animæque quoad licet, vice fungens: inde Antiquitas Salem potiſſimum in menſâ apponendum eſſe cenſuit, ut perſeverantiam & firmitatem amicitiæ inchoatæ indicaret. Proinde multi Gentiles ominoſum habebant, ſi Sal in menſam profundi contigiſſet; quaſi per hoc amicitiæ everſio portenderetur. Ita Miniſterium Evangelicum licèt per accidens diſſidium & gladium pariat; per ſe tamen amicitiam, Pacem & Unionem fidelium, tum inter ſe, & cum Deo conciliat & conſervat.

Sal conſervator eſt corporis, ſecũdo poſt animam ordine; nam ſicut anima cauſa eſt incorruptionis corporum; Sic Sal quàm diutiſſimè tuetur ea, redditque quodammodo immortalia. Philo. V. Pleniùs à Lap. in Act. 1.4.

8. Vim Medicamenti Sal confert corpori

Saliuntur corpora re-

cens natorum, ut solidiora fiant, & constringantur. Hieron.

pori. Itaque Medicorum coryphæi docent, infantes recèns natos, vel Sale conspergendos, vel aquâ salitâ pluendos, tam abstergendæ immunditiei gratiâ, quàm membris consolidandis, & vulneri umbilici præcisi constringendo. Ezech. 16. 4. inde dicitur, corporibus naturalibus soliditatem tribuere. Ita recèns Renatis, Sal illud cæleste est omninò necessarium, sine quo, nec immundities nostra abstergi, nec vulnera sanari, nec robur ullum nobis accedere potest. ut posteà patebit.

9. In omni Sacrificio aderat Sal, ut videre est, Levit. 2, 13. Ezræ. 6. v. 9. & 7, 22. Ezech. 43, 24. Marc. 9, 49. Omnis victima [Spiritualis & Deo grata] igne salietur, & Sale salietur. (1.) igne tribulationis, & sale Sapientiæ, mortificationis & integritatis, vitæ & doctrinæ; nam ut Sale conditi cibi gratiores sunt palato; sic spirituales epulæ & sacrificia, quæ hoc Salis genere condiuntur, DEO sunt gratissimæ. Mel abesse voluit DEUS à Sacrificiis (1.) delicias carnales, voluptates mundanas, & talibus immersos: nam ad Sacrificia requiritur Spiritus contritus; ac proinde prohibetur in Sacrificio apponi Mel. Levit. 2, 11. at ibi mandatur

appo-

Digitized by Google

apponi Sal, quod est mordicativum (ut loquitur Aquinas) hinc vel ipsis Gentilibus familiare fuit, in Sacrificiis Salem (more Hebræorum) adhibere; unde frequens apud illos in Sacrificiis, salsa mola, & salsæ fruges, quia molæ (1) farri molito sal aspergebatur.

10. Sal est quid communicativum & utilissimum; ideóque, dicitur res bona. Marc.9,50. Luc.14,34. ut verò omne bonum est sui diffusivum; ita & Sal dum nativam retinet vim nescit corruptionem; imò & alia servare valet ne corrumpantur, quibus suam communicat virtutem & efficaciam. Hoc, carnem conservat, ne putrescat; vinum ne flaccescat & in acetum degeneret, cibum reddit sapidum. &c. unde veterum axioma: Corporibus nihil utilius Sale & Sole. Ita quilibet Christi discipulus Sal esse debet, non solùm ipse bonus existens, sed & aliis communicans bonitatem suam. Psal.51,13. Genes.18,19. Luc.22,32. Joh.1,42.43.45. hinc jubet Apostolus [Coloss.6,4.] ut sermo noster semper cum gratia sit sale conditus (1) gratiâ & sapientiâ quasi sale quodam condiatur, ut doctrinam salutiferam imperitis impertiamus, afflictis solatium afferamus, nec non omnibus sapienter & salubriter responsum demus.

11. Sal vulneribus admotus dolorem

ciet.

Digitized by Google

ciet. Ita Ministerium verbi sui abnegationem exigens, peccata redarguens, minas Legis vulneratis conscientiis applicans; carni dolorem & amaritudinem affert, nec non Præcones ejus mundo reddit exosos & terribiles. Gravissimè & ad rem Chrysostomus. Apostolos (inquit ille) non Palestinæ Doctores esse dixit Christus, sed totius Terræ; nec simpliciter Doctores, sed & terribiles; hoc est enim omninò mirabile, quòd non adulantes neq; palpantes; sed è diverso, Salis instar urentes, omnibus desiderabiles fuere.

Naves quibus Sal vehitur, plures alunt mures ob frequentiorē coitum. Plut. Hinc à sale provenit Salacia, Sal enim quia calidū & mordax stimulat ad Venerem. V. Plura apud Plinium lib. 31. c. 7. & 9.

12. Sale nihil fœcundius. Mare salsum est valdè prolificum, illic reptilia sunt innumera, & animantia parva cum magnis. [Psal. 104, 25.] hinc Venerem è salo natam fabulantur Poëtæ, & eam cognominant ἁλιγενῆ. (1) saligenam: nec est ullum animal terrestre perinde fœcundum ac sunt omnia marina. Ita nihil feracius, nihil fertilius sano & solido Verbi Ministerio. Unus Petrus concione unâ animarum tria millia traduxit ad Christum. Actor. 2, 41. multitudo credentium temporibus Evangelicis Prophetice ostenditur. Psal. 110. 3. velut ex utero auroræ tibi erit ros natorum tuorum. q. d. ut ros ex aurorâ & aëre matutino velut ex utero nascitur, in plurimas atq; innumerabiles guttulas dispersus: ita nati tui (1) electi nascentur tibi

maxi-

maximò numero ex prædicatione Evangelii. O si hisce pessimis & ultimis temporibus consimili rore vespertino (ut illi matutino) sicca Ecclesiæ Christi pomeria irrigarentur ac fæcundarentur!

13. Sal est igneæ & aqueæ naturæ. ignē in se continet, quia acre est instar ignis, quod si in ignem projiciatur, acuit eum & accendit: aquam, quia sal inspersâ aquâ in aquam liquefit & resolvitur. Itidem Pastores Evangelici sunt Sal terræ, quia igneâ suâ vi & virtute corda hominum zelo & amore Dei inflammant. Deinde ut Sal liquescit & comminuitur ut carnem à putredine tueatur; ita Pastoris est officium, ut laboribus & vigiliis tanquam sal se comminuat, operámq; & oleum sedulò impendat, ut populus sibi commissus salvetur, & à putredine peccatorum conservetur. Tale sal fuit D. Paulus, qui seipsum macerabat, & quàm libentissimè genium defraudabat suũ, ut animas Christo lucrifaceret. 2. Cor. 12, 15. ego verò libentissimè [omnia mea] impendam, & [ipse totus] expendar pro animabus vestris.

14. Sal est res valdè communis, ubiq; enim Sal, nec tantùm in divitum, sed vel in pauperrimorum ædibus invenitur. Protritum est illud distichon.

Hoc primò poni debet, primoq; reponi,
Nō bene mensa tibi ponitur absq; sale.

Iti-

Itidem Evangelii præcones tam faciles & communes esse debent, ut qui eos quærant facilè inveniant; tam mites, ut nemo eorum conspectũ perhorrescat. Apostolus vult, omnem Pastorem esse διδακτικὸν. (1) aptum & paratum ad docendum, [2. Tim. 2, 24.] idq; tempestivè & intempestivè: nec ab hoc vel propriæ utilitatis, voluptatis & quietis ergò detineatur; imò optatissimum Ministro debet esse lucrum, ut animas Christo lucretur; & voluptas jucundissima, quod suo Ministerio multos salsos & sanctos, gratos & Deo acceptos per Christum efficiat. Oremus itaq; Dominum messis, ut verbum ejus non repat, sed per omnes oras currat, & glorificetur, corde, ore & opere. [2. Thes. 3, 1.] Bonum enim quò communius, eò melius.

15. Sal, illis rebus quas non condit, desolationis & Maledictionis est Symbolum; ut videre est. Gen. 14. 3. Psal. 107, 34. Ier. 17, 6. Zeph. 2, 9. Hispanorum mos est, eorum domus qui læsæ Majestatis convincuntur rei, sale conspergere: & veteres Hebræi cum locum aliquem vastare & in solitudinem redigere velint, cum sale seminabant: ita fecit Abimelech. Iudic. 9, 45. Etsi enim sal condiendis cibis aliisq; usibus sit valdè necessarius (ut suprà ostensum est) tamen ob igneam illam vim quâ præditus est, genitalem succum her-

bis

bis exurit, & sterilitatem inducit, (regionibus præsertim calidis) frigidis enim locis stercoris vicem obtinet. Ita Evangelium iis qui eo condiri nolunt, corda eorum indurat. Isa. 6, 9. 10. & est odor mortis in mortem. 2. Cor. 2, 16. (i) odor mortifer, & mortem afferens; ut bonis est odor vitæ in vitam (i) odor vitalis & vitam afferens; nec mirum, nam in rebus humanis usitatissimum est, ut res eadem in se bona & utilis, aliis serviat ad bonum, aliis ad malum, diversúmq; sortiatur à naturâ suâ in nonnullis effectum. Sal bonum est in Se; attamen pro diversitate subjectorum redditur vel utile, vel noxium. Solis splendor alios illuminat, alios occæcat.

Semper distinguendũ est propriũ Evangelii officium ab accidentali, quod hominum pravitati imputandum est, quâ fit, ut vita illis vertatur in mortem. Calvin.

16. Sal est Symbolum discretionis & Prudentiæ. Temperantiùs aspersus gratâ quadam suavitate gustum demulcet; nimium verò admixtus cibum reddit ingratum. Ita Pastores Evangelici summâ discretione & judicio omnia agant, ne nimiâ & inepta acerbitatis affectatione, veritatis doctrinam omnibus reddant exosam. Adsit itaq; talis moderata & temperata Legis & Evangelii conditura, quæ utilem & suavem illius acerbitatem faciat: nostrum enim est homines condire, non perdere; Salire non subvertere. Probè notum est adagium: Sal & oleum oportet emere. Oleum est lenitatis typus & tessera; Sal

Discretio est auriga & moderatrix virtutum, affectuum, morum, omni Virtuti ordinē ponit; tolle hanc & virtus erit vitium. Bern.



Digitized by Google

Sal mordet & ficcat, oleum lenit ac humectat.

ra; Sal acrimoniæ & mordacitatis: hinc Medici oleum addunt Sali, ne plus ſatis erodat. Ritè igitur & rectè ſecandum eſt verbum Dei, ne nimiâ Legis auſteritate infirmæ conſcientiæ, triſtitiâ abſorbeantur: vel inordinata amplificatione improbis licentiæ fræna laxentur.

Hactenus de Sale ejuſq; naturâ. Reſtat, ut ad nomina in S. Scriptura Paſtoribus Evangelicis data, progrediamur: quibus eorum Neceſſitas, Utilitas, Efficacia & Dignitas liquidò apparebit.

## Cap. II.

*Nomina dignitatis, utilitatis, neceſſitatis & efficaciæ, quibus Paſtores Evangelici inſigniuntur, ſunt multiplicia.*

Vocantur:

1. Sal Terræ (ut vidiſtis.)
2. Sol & Lux mundi.
3. Viri Dei.
4. Prophetæ Dei.
5. Sacerdotes Dei.
6. Portatores vaſorum Domini.
7. Oeconomi.
8. Operarii.
9. Cooperarii Dei.
10. Dii.
11. Speculatores.
12. Paſtores.
13. Ædificatores.

14. Te-

14. Testes Christi.
15. Servi Christi.
16. Patres. 17. Videntes.
18. Milites. 19. Duces.
20. Currus Israelis.
21. Episcopi.
22. Doctores. 23. Nubes.
24 Nutrices.
25. Ministri-Ecclesiæ.
26. Stellæ.
27. Angeli.
28. Presbyteri.
29. Paranymphi.
30. Legati Christi.
31. Piscatores.
32. Agricolæ.
33. Boves laborantes.
34. Buccinatores.
35. Os Domini.
36. Novi fœderis Ministri.
37. Opor suavis.
38. Ecclesiæ corona.
39. Christi gloria.
40. Salvatores.
41. Gratia. Rom. 1, 5. Eph. 3, 8.
42. Magistri collectionum vel congregationũ. Eccl. 12, 11. ideoq; honorãdi. Mal. 1, 8.
43. Ecclesiæ medici. Ier. 8, ult. Ergo Scientiâ ornandi. Isa. 50, 4.

1. Ministri Ecclesiastici sunt Sal Terræ, ut modò ostensum est.

Quid potetat dici majus? amplissima laus est Ministrorum Verbi Dei, dignitas maxima. Soli enim ac Luci cõparantur; curemus modò ut vita & doctrina nostra sit illustris & pura: nam his parabimus nobis authoritatem. Bullinger. de Func. Episc.

2. Vocantur Lux mundi. Matth. 5,14. luce verò nihil gratius, nihil utilius. hâc res inter se discrepantes discernimus, negotia obimus, præcipitia & foveas declinamus. designat itaq; hoc, fulgorẽ doctrinæ, puritatem vitæ, summam deniq; Ministerii dignitatem, quæ longè majorẽ habet efficaciam lumine mundano: nã lumen externum cæcos non illuminat; lumen verò Prædicationis Evangelii cæcos illuminat. 2. Mundi Sol nubib. quàm sæpissimè obnubilatur; at mediâ nocte, & afflictionib. densissimis in Ecclesia clara dies est. 3. Mundi Sol occidit, hoc autem lumen nũquam extinguitur. Tolle hoc lumen & mundus caligine errorum & peccatorum statim erit pressus & oppressus, perturbata & confusa erunt omnia. Notandum tamen quòd Christus sit Lux mundi & Sol justitiæ, propriè, essentialiter, originaliter, perfectè, intensivè, & extensivè: Ministri verò Christi sunt lux mundi, μεθεκτικῶς (1) participativè & communicativè, dependenter & imperfectè. hi sunt luminaria illuminata & illuminantia, qui lucem Evangelii spargunt in mundo. Iohan. 5,35. Act. 26,18. Rom. 2,19. Quamvis verò omnes Christiani suo modo sunt Lux, & lucere debent ut filii lucis. Phil. 2,15. 1. Thes. 5,5. tamẽ hic titulus κατ' ἐξοχὴν Pastoribus debe-

debetur, quippe lumen præferunt vitæ & doctrinæ, & eorum Ministerio Deus accendit lucem internam. Maxima itaq; est Libertinorum dementia, & contradictio in adjecto *Novam* dum extollunt *Lucem*, & interim tollunt Verbi Ministerium.

3. Vocantur Viri Dei. (1) Viri à Deo peculiariter missi. hoc nomen frequenter attribuitur Prophetis. Deut. 33,1. 1. Sam. 2, 27. & 9,6. 1. Reg. 13,1. 13. 2. Pet. 1,21. Deinde Pastoribus Evangelicis. 1. Tim. 6,11. & 2,13. 17. nec Timotheum solũ, sed & quẽvis Ecclesiæ Ministrum Paulus vocat, Virum Dei, κατ' ἐξοχὴν. est enim * Hebraismus, & notat viros eximiè sanctos, Deóq; familiares. est Periphrasis valdè laudabilis, nam ut vix Belial, denotat hominem effrenem, & Vir sanguinum, virum truculentum; sic Vir Dei, virum refert divinum, & Spiritu Dei afflatum.

Ideò Sacerdos vocatur, Ish chasideca. Deuter. 33,8 (1) vir Deo charissimus, & quem benignitate suâ prosequitur

* V. Plura, in Regul. meis Theolog. Reg. 12. & Reg. 33.

4. Prophetæ Dei. attribuitur hoc nomen & illis qui absq; dono Prædictionis futurorum, divinæ voluntatis sunt Interpretes. Matth. 10,41. & 23,34. ubi recipere Prophetam, est doctorem & Præconem Evangelii recipere. Hi funguntur officio illo Sacro quo perfuncti fuere Prophetæ in V. T. & scripta Prophetarum explicant. 1. Cor. 14,3. 1. Thess. 5,20.

5. Sacerdotes Dei. Licèt hoc nomen propriè cõveniat Levitis; impropriè tamẽ & κατά τι usurpatur pro Spiritualibus Sa-

Dicuntur Ministri Evangelici Sacerdotes. 1.

quia unà cum aliis inaugurati sũt Christo, & quatenus sunt verè Christiani. 2. Quia Evangelium docent, & homines ipsos mactant, vivumq; sacrificium Deo offerunt. Bucan. Loc. 2. Q. 33.

cerdotibus spirituales Victimas Deò offerentibus; quo sensu omnes fideles dicũtur Sacerdotes. Apoc. 2, 6. 1. Pet. 2, 9. & omnes Ecclesiæ Ministri, quia Evãgelii prędicatione homines Deo subjiciunt, [Rõ. 15, 16. Phil. 2, 17.] preces pro Ecclesia fundunt, & peculiariter se Deo consecrant.

6. Portatores vasorum Domini. Isa. 52, 11. in cujus conspectu stant. Deut. 10, 8. & cujus vicem agunt, Prædicando, Sacramẽta administrando. &c. sancti itaq; sint, & sancta sanctè tractent. nam si mundicies animi & corporis meritò à Ministris Tabernaculi fuit rnquisita; quanto magis nobis competit, qui verbum vitæ portamus, ut mundi simus coram Deo & hominibus?

Vt respectu Verbi, sunt Thesaurarii; ita respectu Sacramentorum, sunt custodes Sigillorum altissimi.

7. Oeconomi, seu dispensatores mysteriorum Dei. [1. Cor. 4, 1. 2. Tit. 1, 7.] (1) gratiæ, justificationis, sanctificationis, salutis & æternæ vitæ. Nec sunt Regum aut Imperatorum Oeconomi, sed cælestis Patris-familias. Præcipua verò dispensatoris virtus est fidelitas. Luc. 12, 42. fidelis autẽ est, non qui suum, sed solius Domini cõmodum & gloriam spectat, & ad nutum Domini omnia administrat. Matth. 24, 45 Act. 20, 27. ad captum percipientium cũcta distribuit, Pueris dat lac; robustis solidum cibum, impuros arcet à familia. Eo nomine, domûs claves à Deo acceperunt, quibus credentib. regnum cælorum aperiunt,



Digitized by Google

riunt, incredulis claudunt. Matth. 16, 19. & 18, 18.

8. Operarii & messores in messe Domini, & Vinitores quos mittit in vineam suam [Matth. 9, 37. & 20, 1. & 1. Thess. 3, 2. & 2. Tim. 2, 15.] denotat primò, summam esse Ministerii necessitatem. deinde, non esse ignavum otium, sed negotiorum negotium; quia cõferuntur operariis in messe, opus verò messorum est per se laboriosissimum, vim Solis, ventorum violentiam, tempestates patiuntur & imbres, quæ omnia hominem gnavum & strenuum flagitant, non otio & umbræ assuetum. Hi laboribus se frangũt, & Vigiliis lassant, proinde dicuntur οἱ κοπιῶντες, [1. Tim. 5, 17.] (1) qui strenuè laborãt usq; ad lassitudinẽ: ut ligniseca, agricola, messor, miles. Hoc, corpus atterit, ex imis medullis succũ exhaurit, senium mortemq; accelerat. ut videre est. Joh. 8, 57. tu nondũ habes quinquaginta annos; unde colligunt nonnulli, Christum ob multum laborem in Prædicationibus, vigiliis & orationibus quasi ante tempus consenuisse: nam curæ & labores faciũt canos. proinde exclamat Propheta [Isa. 24, 16.] væ mihi! macies mea macies mea! non dicit, Pinguedo, Pinguedo mea! uti nõnulli Epicuri de grege porci. sed quia fuit vir zelans pro gloria & populo Dei, corpore fuit tenui ac macilento, vultuq; pallido, qualis esse solet dolentiũ ac lugentium.

V. Plura apud Dan. Dyke in Philemon. 24. p. 314.

 9. Co-

Digitized by Google

Eximium elogium Ministerii, quod cum per se agere possit Deus, nos homunciones tanquam adjutores adsciscat, & tanquam organis utatur. Calvin.

9 Cooperarii, non Petri aut Pauli, sed summi & omnipotentis Dei. 1. Cor. 3, 9. συνεργοὶ, adjutores, administri; quia Deus eorum operâ utitur ad fidem efficiendam, in quibus vult, & ad eundem finem labor eorum confertur, quem Deus habet in promulgando Evangelio (1) salutem animarum. Honorificum sanè elogium! q. d. Deus magno honore dignatus est vos, ut adaptârit in coadjutores; poterat quidem sine vobis opus suum perficere, sed noluit. Ingens hæc, Angelica, imò divina dignitas; ingens utilitas: possumus enim hinc mirificè nosmet ipsos consolari; quod si nostro non desimus officio, Deus nobis adjutor aderit. Quis enim suos aratores, Pastores, oeconomos & agricolas unquam destituit? *Imperator* bonus suos milites tutatur & remunerat. Quin etiam Pastores hoc nomine appellantur, socii Dei, Zach. 13, 7. quia organa sunt ejus ad opus suum exequendum. Hic locus licèt primariò spectet ad Christum; secundariò tamen competit omnibus pastoribus.

V. Calvin. in loc.

Quoties partem gloriæ suæ Deus videtur Ministris suis resignare, tantùm docet virtutẽ atque efficaciam Spiritus sui cum illorũ labore fore conjunctam, ne sit infructuosus. Calv.

10. Dii, Moses Sacerdos & Legatus Dei, nuncupatur in terminis, Elohim, (1) Deus. Exod. 4, 16. & 7, 7. eris Aaroni pro DEO, & constitui te Pharaoni Deum; Deum non essentiâ & naturâ; sed nuncupativè

pativè analogicè & participatione ſapientiæ, eminentiæ, & poteſtatis divinæ, q.d. eris Aaronis vice Dei, docendo eum voluntatem meam, & mandando illi quæ loqui debeat. Ita ut te quaſi me conſulat & audiat. v. 28. 30. Loquente enim Moſe, loquitur Deus; qui audit eum, audit Deum; & qui ſpernit eum, ſpernit DEUM, Luc. 20,16.

11. Speculatores. Iſa.62,6. Jer.6,17. Ezech. 3,17.& 33,7. Hoſ.9,8. Heb.13,17. hoc titulo inſigniuntur, quia prævident futura, & populum de illis admonent; ſicut Speculator è longinquo videt adeuntem hoſtem, & dato ſigno incolas admonet. Vigilant hi ne peccato percamus, & erroribus ſeducamur; vigilant, verbum Dei docendo, pro eccleſia orando, & impios corrigendo. &c.

Tſophim. Aliis quietè dormientibus vigilãt hi. Vigilum verò laborioſa & periculoſiſſima eſt conditio.

12. Paſtores. Num.27,17. Iſa. 63, 11. Jer.3,15. Ezech.34,2.3.4. Joh.10,2.12. In Paſtore verò requiritur.1. induſtria, ut oves paſcat, errantes reducat, infirmos ſanet, ſanos conſervet.2.fortitudo, ut lupos arceat.3.fidelitas, ut Domino ſuo oves reſtituat, ac ſervum ſe, non gregis Dominum agnoſcat. 4. Prudentia alendi oves, alias enim voce, alias baculo regit. 5. tolerantia, nam ventis, pluviis & tempeſtatibus expoſitus eſt, ut conquerirur Jacob. Gen. 31,38.39, 40. Hi eccleſiam, DEI

gregem pabulo cælestis doctrinæ pascũt, à venenatis hæreticorum pascuis eum abducunt, lupos ab ovili abigunt, oves deniq; sibi commissas pedo disciplinæ corrigunt.

Non potuit honorificentius verbi ministerium commendare, quàm dum hunc illi tribuit effectum. Calv.

13. Ædificatores & ecclesiæ architecti. Ephes.4,11. 1. Cor.3,10. quia horum doctrinâ Ecclesia in fide Christi, & dilectione proximi ædificatur & crescit. Unde constat, ædificium esse Ecclesiam, primus architectus est Deus, alter Minister. nonnulli fundamentum ponunt, alii superædificant, ut in nobis tanquam in templo Deus habitet. Hinc Prophetæ appellantur Lapidarii. Hos.6,5. dolari eos per Prophetas. Ut latomus lapides cædit, dolat, quadrat: ita per legem dolamur, exasciamur & præparamur, ut in exstructione spiritualis ac cælestis domûs, locum habere possimus. q.d. ego vos dolavi per Prophetas meos, tanquam ligna nodosa, fragosa, robusta: nec non minis & monitis frequenter iteratis corrigere vos studui: sicut dolabrâ levigantur ligna nodosa.

V. Pleniùs, D. Trappũ in locum. Chatsabri, propriè est excidere lapides è Petra, ut Isa. 51, 2.
Vt complanentur nodosa ligna, non tenuis cultellus, sed durum (Legis dolabrum illis est necessarium. Zanch

14. Testes Christi. Joh.15,27. Act.1, 8. Apoc.2,13. & 11,3. & 26,16. nempe verbi prædicatione, & integritate vitæ. nam ut testes oportet esse veraces, inculpatos, ac de rebus cognitis testificantes: ita Ministri voce & vitâ, veritatem Dei verè,

inge-

ingenuè ac constanter usque ad mortem testari debent. Nam in Teste requiruntur tria, 1. Scientia, ut veritatem sciat, 2. Sinceritas, ut sine fraude & fuco eam verè narret. 3. Pietas, ut omni exceptione sit major.

15. Servi Jesu Christi. Rom. 1, 1. Phil. 1, 1. Iacob. 1, 1. Tit. 1, 1. non servi hominum, nec Ministri Principum; sed servi summi illius Monarchæ, qui est rex regũ, & Dominus dominorum. Nec sunt Dei servi Iure tantùm Creationis, ita enim omnis creatura est serva Dei. Psal. 119, 91. nec tantùm jure Redemptionis, sic enim omnes electi sunt servi Dei: Sed per Legationem & specialem à Deo missionem: quâ, uti Legati dicuntur servi Regis; ita Præcones Evangelii dicuntur servi Christi κατ' ἐξοχὴν, quia eminentiori loco Christo serviunt; & ei serviendo regnant. Indigitat verò hoc Epitheton, non tantùm honorem, sed & onus: Servus enim quantus quantus est, totus est in potestate Domini sui; huic laborat, huic acquirit, huic vivit, huic moritur, omnia impendit ad illius commodum, omnia agit ad nutũ & voluntatem ejus: Ita & nos quicquid sumus, hoc totum Christo debemus, ac proinde omnia nostra ad illius gloriam oportet impendere, vitam, facultates, & ipsum sanguinem.

Est res magnæ dignitatis, esse servum tanti Domini Zanch.

Nemo servum conducit ad luxum & otium.

16. Patres. 2.Reg.2,12.& 6, 21.& 13, 14. Iud. 17, 10. 1.Cor. 4,15. & 2, 6. 13. & 12,14. 1.Thessal.2,11. 1.Tim.1,2.& 2,1.2. Tit.1,4. Philem.10,1.Ioh.2,28. & 3, 7. & 4,4.& 5,21. Identidem hoc titulo insigniuntur Ministri quippe per verbum spirituales filios Instrumentaliter Deo generant. Deus est pater noster principaliter & propriè, Pastores verò ejus sunt Patres nostri spirituales organicè &analogicè. Ergò singulari amore, reverētiâ & beneficentiâ dignissimi. Exo.20,12. hi enim Christo in adventu ejus nos exhibituri sunt tanquam suum gaudium & coronam; hos necesse est ut tantæ fælicitatis instrumenta meritò agnoscamus. 1. Thessal.2, 19.20.

Hinc colligendum est Christi Ministros, prout quisque ejus regnū propagaverit, gloriæ & triumphi in extrema die fore participes. Calvin.

17. Videntes & corporis oculi. 1.Sa. 9,9.Isa.30,10. 1.Cor.12, 16. 17. eamus ad videntem (1.) ad Prophetam. Prophetiæ enim per spirituales visiones ac revelationes fieri solebant, ut videre est. Ezech. 1, 1. vidi visiones Dei. Ioel.2,28.Apoc.1,2. 12. & 5,1. & 7,1. hinc Prophetæ Spiritu S. illuminati futura è longinquo posita videbant, Hab.1,1. & 2,1. meritò ergo videntes vocantur, quia quod oculi sunt in corpore humano, id Prophetæ Doctores sunt in Ecclesiâ

Quàm multi hastas quotidiè

18. Milites Christi. 2.Tim.2,3.4. militi verò multa agenda, patienda plura.

Solis

Digitized by Google

Solis, sudoris & frigoris patiens est, ut pote multis expositus periculis, doloribus & ærumnis gravissimis; contra hæc, ut militibus adversus hostes pugnandum est, 1. Tim. 1, 18. & 6, 12. hinc commilitones suos vocat eos Apostolus qui unà cum ipso sacrum Ministerium in Ecclesia obeunt. Philip. 2, 25. Philem. 2. Bellum igitur indictum sibi ac paratum sciant, qui ad Ecclesiæ ædificationem se accingunt. Militat sanè omnis Christianus, at hoc præ aliis spectat ad Ministros, qui ordines ducunt ac præferunt vexillum.

19. Duces Ecclesiæ. Act. 8, 31. Rom. 2, 19. Heb. 13, 7. 17, 24. quia alios in via salutis manu ducunt. hi sunt gregis τύποι (1) norma & exemplar vitæ, quod omnes intueantur ut imitentur, illique sese conforment tanquam animatæ legi. 1. Tim. 4, 12. Hos emphaticè vocat Apostolus ἡγουμένους, duces vel ductores, quia doctrinâ cælesti, & vitæ exemplo in viam salutis nos ducunt, vel ducere debent. nam licèt solius Dei est homines ducere, tamen quia hoc fit per doctrinam, doctoribus, quod suum est honoris ergò communicat.

20. Currus Israelis & equites ejus. 2. Reg. 2, 12. & 13. 14. * 1. Sam. 7, 13. 14. Ex. 32, 10. non solùm sunt Mlites & Duces, sed & totus exercitus. Sunt currus & equites ecclesiæ (1) vis & robur quibus ea

abjiciant, quia cruci assuescere nequeant. tanta est eorum mollities, ut militiam horreant. Calvin.

Est quædã pugna omnibus fidelibus communis, Ephes. 6, 12. at quædam peculiaris est Ministris qui ducunt exercitum, & stat ceu in primâ acie contra hæreticos & Tyrannos. Zanch.

* Quamdiu Samuel in vivis fuit, Deus populum suum liberabat à Philistæorũ tyrannide. Calvin.

Digitized by Google

Curribus & equitibus eo tempore robur exercitûs constiterit. q. d. In Elia longè plus fuit præsidii, quam in Rege & militibus, in quadrigis & equitibus ad tuendum populum Dei. Wolph. Adjuvate me precib9, ego vos gladio. Dixit Constantin. ille M. Clero suo.

ea defenditur contra hostes. Quod si unus Elias vehebat & protegebat populum, & magis eum juvabat zelo suo & oratione, quàm magna curruum & equitum multitudo; quanti quanti sunt complures Eliæ? Hi sunt Ecclesiæ muri & reip. antemuralia; hi, hostes DEI occîdunt non gladio corporali, sed spirituali (1.) gladio linguæ, quâ eos acriter redarguunt, minanturque iis mortem præsentem & æternam. 1. Reg. 19. v. 17. sic oratione & imprecatione Elisei minaci non nullos esse peremptos legimus. 2. Reg. 2. Apocal. 11. vers. 5. fideles itaque verbi Ministri, qui precibus suis manus Dei tenent, & Ecclesiæ sunt lumina & columina, in magno pretio sunt habendi.

Nomen Episcopi comprehendit. 1. diligẽtiam. 2. Prudentiam. Laurent.

21. Episcopi, in genere, omnes Ecclesiæ Ministri dicuntur Episcopi, quia omnium eorum munus est ἐπισκοπεῖν (1) prospicere gregi fidei suæ commisso, & diligentem ejus curam habere. Act. 20, 28. proinde quos vocat Apostolus Presbyteros Tit. 1, 5. hos versu 7. vocat Episcopos. nec est Episcopatus nomen tantùm honoris, sed & operis. Qui episcopatum desiderat, ἔργον, opus (non otium & opes) desiderat. 1. Tim. 3, 1.

Episcopus non est qui præesse dilexerit, non prodesse. Aug. de Civit. Dei. l. 19. c. 19.

22. Doctores, quia præcipuum Ministri munus est docere verbum Dei. Titulus hic primariò attribuitur Christo. Matth.

Matth. 8,19. Joh.13,13. Secundariò, Ministris ejus. Eph.4,11. Luc.2,46.1. Tim. 2,7.& 2,1.11.Act.13,1. 1.Cor.12,28.

23. Nubes. Pastores fideles sunt spirituales nubes, quia vineam Domini salutari pluviâ (1) doctrinâ cælesti & salutiferâ irrigant, irrorant & fæcundant. Isa. 5, 6. per hos Deus Evangelii imbrem in Ecclesiam depluit. Deut.32,2.Ezech.20,46. & 21,2.Amos.7,16. Impostores verò sunt nubes aquâ carentes, ventis circumactæ. 2.Pet.2,17.Jud.12. (1) scientiam inaniter ostentant& promittunt, cum inconstantes sint in doctrinæ professione, & sicut nubes aquâ carentes nullam pluviam effundunt: Plurimùm quidem speciei habent, at veritatis & substantiæ nihil. exitus itaq; earum est, quòd à ventis & turbine præ levitate facilè disjectæ ac circumactæ dissipantur.

V.Plenius, comment. M.Ienkyn. in Jud. 12.

24. Nutrices. 1.Thess.2,7.ut nutrix cum infante balbutit & colludit, eumque alit ac fovet; sic & Ministri Evangelici quasi nutrices blandissimæ & amantissimæ cum recèns renatis quasi balbutiunt, & veritatis lac iis ingerunt. Deinde, nutrix nullis parcit laboribus, nullam solicitudinem refugit, nullâ assiduitate fatigatur, suumque sanguinem

Nihil est illâ placidius mitius, humanius, officiosius: sese demittit, humiliat, ac si esset liberorum ancilla. Zanch.

hilari

hilari animo sugendum præbet. Ita Pastor verus nullum respuit laborem, sudorem nullum; imò vitam ipsam in gregis utilitatem impendere paratus est.

25. Ministri Ecclesiæ. 1. Cor. 4,1. & 2,4.5. vocat eos ὑπηρέτας, quæ vox laboris & ærumnarum est. Est enim verbum ἐρέσσω, remigo, hinc ἐρετμοὶ, remiges, & ὑπηρεσία, servitium. cogitent ergò Ministri se ad remos sedere, ubi magnis laboribus ad nutum naucleri Christi indefessò labore sit remigandum, hinc vocantur * diaconi. Act. 21,19. Rom. 11,13. 2. Cor. 6, 4. 1. Tim. 1,12. & 2,4.5. qui titulus his in locis designat verbi & Sacramentorum ministerium, κατ' ἐξοχὴν. cognoscant itaque Ministri officium suum non esse ἀρχὴν δεσποτικὴν (1) regimen imperiosum & Politicum, sed Ministerium Ecclesiasticum: sunt enim Ministri, non Domini; non conservorum principes & capita, sed collegæ & Sympresbyteri.

26. Stellæ, Apocal. 1,20. non errantes ut planetæ, sed fixæ. Hi doctrinæ puritate, morumque integritate aliis prælucere debent. Et ut stellæ lucent noctu in medio tenebrarum; sic luceat Pastor præsertim noctu persecutionum & hæresum. deinde ut stellæ lumen suum habent à Sole, ita & illi suam vocationem, χαρίσματα, dona ad Ministerium necessaria, & doctri-

Non sunt habendi ut homines privati, sed ut Ministri Christi, per quos ipse nobis loquitur, ad fidē & obedientiam vocat, ad vitam æternam nos dirigit Par. 29. Multum illis tribuitur quando pro ministr. Dei habentur nā & ipse Christus quoad hominem, Ministri nomen suscepit. Isa. 42,1. Rom. 15,8.

Pol. Martyr, à διὰ & κονεῖν, currere, festinare, q. ministrorū ac servorum est velociter, alacriter, & quasi currendo gnaviter officium facere. Laurent.

V. Plenius. D.D. Arrou. Smith. in Apoc. 12,1.2. p. 23. &c.

Digitized by Google

doctrinam, quâ instar stellarum fulgent, accipiunt ab eo qui dicitur Sol justitiæ, Mal. 4, 2. Quodsi officium suum fideliter fecerint, non solùm Christi Patrocinio & protectione muniti gaudebunt, (Christus enim stellas in dextra sua tenet) sed tanquam stellæ fulgebunt in æternum. Dan. 12, 3.

27. Angeli Ecclesiæ, Apoc. 1, 20. & 21. & 14, 6. Malach. 2, 7. Job. 33, 23. Pastores ecclesiæ nuncupantur Angeli. 1. quia Dei internuntii sunt ad homines, & ab eo missi ut voluntatem ejus nobis annuntient. 2. quia Angelorum castitatem, puritatem, & zelum imitari debent; ut tanquã Angeli sint inter homines, quasi magistri inter pueros, & quasi Pastores inter animalia. adeò ut nomen Angeli tum dignitatem, tum ministerium nostrum graphicè adumbret. Vide hîc, quanta sit dignitas verorum Pastorum, qui tum stellæ sunt, non in alio firmamento quàm in dextra Christi fixæ; tum clarissimorum Angelorum titulo insigniuntur à Deo. Parùm itaque refert, si probrosis nominibus nomina nostra dilacerentur, cum hoc loco & existimatione sint apud Deum: ab impiis enim ob puritatem vituperari, est laudari; ab osoribus cruciari, est coronari.

Ministri Ecclesiæ Angelorum nomine, quo nullum excellentius tribui potest creaturæ in Scriptura designantur. Raven. Ità Iohannes B. ob Angelicam vitam & prædicationem vocatur Angelo. Mal. 3, 1. V. A. Lap. in Loc.

28. Presbyteri & Seniores. Est nomen

men non ætatis ſed officii & dignitatis, omnibus Eccleſiæ Miniſtris commune. Act.14,23.& 20,17. 1.Tim.5,17. Tit.1,5. 1.Pet.5,1. ita vocantur Miniſtri Evangelici, quia prudentiâ ſenili alios antecellere debent; juvenilem levitatem & inconſtantiam devitantes, & eam gravitatem & pietatem ſectantes, quæ ipſis authoritatem apud populum conciliet.

Paranymphi ſunt ſponſo intimi & familiariſſimi, adeò ut ad ipſum cubile & thalamum nuptialem, cæteris excluſis, admittantur; ideoq; amici ſponſi vo vocantur. à Lap.

29. Paranymphi, & amici ſponſi. [Joh.3,29. Jer.3,14.15. 2.Cor.11,2.] qui ſponſam Chriſto adducunt & deſpondēt homines invitant ad regias nuptias. Mat. 22,3. Pro.9,3. & ad cænam magnam Luc. 14,17. Singularis ſanè dignitas, & dulciſſima hæc appellatio quæ Miniſtris verbi tribuitur, quod ſint amici ſponſi. Sicut enim ſponſus utitur Paranymphis amicis probatis, qui ſponſæ nuptias offerant & perſuadeant, ita Chriſtus utitur operâ miniſtrorum, ut ſpirituales has nuptias miſeris peccatoribus offerant & perſuadeāt, monſtratis peccatis, & oſtenſo Mediatore: ſemper itaque horum operâ Chriſtus utitur in Eccleſiâ, vel ut ſponſa ad ſponſum adducatur, vel poſtquam copulata eſt, ut fidem ſervet conjugalem, aut ſi lapſa eſt, ut reducatur ad pactum conjugale. Jer.3,1. & qui hæc faciunt ſunt amici ſponſi. Non enim ambiunt ſibi ſponſam, ſed Chriſto; nec propriæ conſulunt glo-

Magnum hoc & præclarum eſt, præfici Eccleſiæ ho:

riæ,

Digitized by Google

tiæ commodo, lucro, sed Christi; ille enim est Sponsus, nos tantùm Sponsæ ductores & Paranymphi.

30. Legati Christi, non Regis terreni. Hag.1,13. 2. Cor.5,20. Ephes.6,20. alicujus Principis Legatum esse, honorificum est, ab insigni Rege mitti, honorificentius; Christi verò legatione fungi, est omnium honorum honorificantissimum. Quantum cælestia præstant terrenis, tantum Dei legatum esse, omnes hujus vitæ antecellit honores. Tres verò sunt veri Legati tesseræ, quæ verbi Ministris affabrè conveniunt. 1. Legatus contineat se intra certos ac præscriptos mandati terminos: sic Ministri Christi non nisi eloquia Dei proferant, nihil addentes, nihil dementes. 2. Nemo sibi partes Legati sumit, nisi à Legante imponantur; sic Ministri non currant, antequam mittantur. 3. Legatis debetur securitas, hos violare nemini licet; 2.Sam.10,4.5. Corinthus à Romanis delecta fuit, ob violatos Legatos: Ità Deus certè & severè vindicabit injurias, Legatis suis illatas.

mines, qui personam filii Dei sustineant. Calvin.

Semel Legatus, semper honoratus.

31. Piscatores hominum. Matth. 4, 19. Marc.1,17. Luc.5,10. quia prædicatione Evangelii homines vagos & palantes in mundo tanquam in vasto & confuso mari, capiunt; & in potestatem suam

redigunt. Hâc Metaphorâ, diligens & indefessum lucrandi quàm plurimos studiũ, commendatur. Piscatores enim quandóq; per totam noctem frustra laborant. Luc. 5, 5. coguntur imbres & pluvias sustinere, & fluctibus nonnunquam penè obrui.

32. Agricolæ. Marc. 12, 2. 1. Corinth. 3, 9. ac proinde nuncupantur Plantatores & Rigatores in agro Domini. 1. Cor. 3, 6. Agricola primarius est Deus. Johan. 15, 1. Secundarius, Minister; hic colit interiùs per Spiritum; ille juvat exterius per vocem & sicut arvum aratur, seminatur & rigatur ab agricolâ, ut domino suo fructificet; ita Ecclesia doctorum ministerio excolitur, plantatur & rigatur, ut Deo fructum ferat.

33. Boves laboriosissimi. 1. Cor. 9, 9. 1. Tim. 5, 18. ubi bovis nomine, Pastoris labor indefessus typicè & allegoricè denotatur: Bos enim est animal laboriosissimum, magnum est incrementum quod à bovis viribus oritur; teste Salomone. Prov. 14, 4. Deinde bos est animal hero utilissimum, illi laborat, non sibi.

Pascit, arat, triturat vitulus, nos calciat, armat.

Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Ita Pastor sincerus animas Christo, non sibi lucrefacit; totum se aliorum saluti impendit & impertit. 3. Bos in aratione lentus est, sed exactus ac stabilis: ita Doctor lentus sit, ut populo rudi tardoq; se

accommodet, nec eum tædeat idem crebrò & minutim explicare & inculcare. 4. Bos est frugalitatis Symbolum, gramen, stramen & fænum comedit: ita sobrius & cibi frugalis sit Prædicator. 5. Bos est animal simplex & innocens. Teste Nasone l.15.Metamor.

Quid meruere boves, animal sine fraude doloque,
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?

Talis sit Prædicator, sine fuco & fraude, simplex & sincerus, uti Jacob, qui fuit, Ish Tam, vir integer. Gen. 25, 27. omnibus benefaciat, noceat nemini. 6. validus est & fortis. Psal.144, 14. Ita fortis sit prædicator, ut neminem vereatur. Didicit quis maledicere? & ille contemnere: nam melius responderi non potest calumniatorũ convitiis, quàm nihil respondendo. 7. Boves plus laborant in frigore, quàm in æstate; ita ministri plurimũ perficiunt in cruce. 8. sicut bos prodest vitâ & morte: ita Voce & Scriptis Ecclesiam juvare debet Minister. 9. Bos erat victima quæ Deo mactabatur: Ita prędicatur mortificationis & Martyrii sit exemplar. 10. Terra quæ à bobus aratro nõ subigitur, spinas profert & tribulos; quæ vero ab iis subigitur lætam producit frumenti messem. Sic animæ quæ à Pastoribus aratro verti non excolun-

luntur, silvescunt, nil nisi lolium & tribulos vitiorum proferunt; & quæ eodem sulcantur lætam virtutum frugem progenerant. II. ut par est bovem ali ex messe in qua laboravit; sic & prædicatorem ali à fidelibus quibus prædicat, convenit.

Quasi tuba, cur non dixit. q. leo, vel tonitru? quia Tuba ponitur in ore, & manibus tenetur. sic prædicatio fit ore, & manibus sustẽtatur (i) bonis operib. Vt subtiliter Stella.

34. Buccinatores, seu Tubicines Dei. Isa. 55, 1. Hos. 5, 8. & 8, 1. Apoc. 8, 2. quia conclamandum est intensâ, sonorâ, forti & quasi tubali voce, ut stertentes excitent. Primò clangant Tubam legis contra peccatores. Zeph. 1, 14. 15. 16. Deinde tubam Evangelii pænitentibus. Isa. 27, 13. 2. Ut Levitarum tubæ fuere ex solido argento. Num. 10, 1. 2. 3. Ita verbum Dei solidò & sincerè sine scoria Pastor annuntiare debet. 3. Sunt tubæ Dei, quia bellum ἀσπονδὸν, irreconciliabile & perpetuum vitiis indicere debent, & homines ad bellum adversus Diabolum & peccatum excitare. proinde clamant, non susurrant aut frigidè loquuntur Sapientiæ ancillæ (i) ministri verbi. Prov. 9, 3. Concionator enim non est Tibia ad voluptatem & plausum modulans; sed Tuba, ut classicum canat ad arma, ad bellum contra peccata & concupiscentias jugiter ineundum. Durante enim pugnâ, non cessat tuba.

Prophetarũ ora sunt Dei os: ideóque inculcant

35. Os Domini. Jer. 15, 19. Luc. 10, 16. Act. 10, 33. Isa. 2, 3. 1. Thess. 2. 13. q. d. si verum à falso, & justum ab injusto discernas

& sepa-

& separes, & vitia liberè coarguas; eris tum quasi Os meum (1) ego te agnoscam verum meum & fidelem servum, erisq; mei simillimus, quia non tua, sed mea verba loqueris; adeò ut qui te audiat, me audiat; & qui spernat te, spernat me.

36. Novi fœderis Ministri. 2. Cor. 3, 6. Ministri sumus non Legales, sed Evangelici; non Veteris, sed Novi Testamenti; non literæ sed Spiritûs; non mortis sed vitæ; non imbecillitatis sed Virtutis & efficaciæ, non damnationis sed misericordiæ: quia Christus per nos illuminat mentes, corda renovat, & totum hominem regenerat.

Propheta Verbum Domini, Visio Dei, Sic dicit Dominus. &c. Sunt ipsius Christi labia 2. Cor. 13, 3. Sunt Os Domini ad populum, & os populi ad Deum.

37. Odor suavis. 2. Corint. 2, 15. 16. hâc Metaphorâ ornat Apostolus Sacrum Ministerium. dicitur enim bonus odor & fragrans; quippe quòd odorem fragrantissimum de Christo, ad fœces, & sterquilinia mundi defert, & salvifico ejus odore illos perfundit. Nam ut Pseudoprophetæ sunt pessimus fœtor; ita Christi ministri sunt suavissimus odor, tum doctrinâ, tum exemplo. ac proinde Deo eorum ministerium est gratissimum sacrificium, vel pereuntibus. Isa. 49, 5.

Certum est hoc elogium omnibus Evangelii Ministris competere, quia ubicunq; pura est ac non fucata Evangelii prædicatio, illic reperietur vis huj⁹ odoris. Calvin.

V. Plura apud Ravanel in Verbo, Odor.

38. Ecclesiæ Corona Apo. 12, 1. illibata Christi Sponsa, Sole amicta est (1) Christo justitiæ Sole. Lunã habet sub pedibus

 (1) O-

(1) omnia sublunaria, terrena & mundana, quasi vana & caduca contemnit. coronam gerit stellarum duodecim in capite (1) doctores & doctrinam Apostolicam non conculcat pedibus (ut hodierno die mos est, Proh pudor! in Anglia) sed gestat eos tanquam coronam & præcipuum suum ornamentum, in capite suo: Nam ut corona caput redimit & ornat; ita Ministri Christi sanâ doctrinâ & sanctis moribus exornat Ecclesiam; nec minima portio inter præstantissima Ecclesiæ, est ministerium illuminans.

Ecclesiæ gloria est ad ministrorũ integritas, non mortalis dignitas. Horum fides est decꝰ Ecclesiæ, quæ quidẽ squalet, quando lucem hi amittunt. Brightm.

39. Gloria Christi. 2. Cor. 8, 23. legati Ecclesiarum, * Gloria Christi, brevi compendio omnia penè illis tribuit, cum eos tales esse testatur, ut Christi gloria per ipsos illustretur. Ita Isa. 60, 1. venit lux &* gloria Jehovę orta est super te. (1) doctrina, gratia & universa gloria Evangelii, quâ glorificatur Deus. Sic itaque prædicemus, sic vivamus, ut Christo Domino nostro simus Gloriæ, non dedecori; ornamento, non ignominiæ; ne tanquã Sal infatuatus conculcemur & abjiciamur.

* Meton. effect. 1. ii qui promovent. & illustrant gloriam Christi. à Lap. Ministerium Evangelii est gloria illa promissa Polan.

40. Salvatores. Rom. 11, 14. 2. Tim. 4, 16. Job. 33, 23. 24. * Obad. 22. Jacob. 5, 20. Act. 11, 14. Jud. 23. Spiritus Dei ita honorat eos quorum Ministerio utitur, ut opus suum illis quoque tribuat. Cavendum

* Rex Messias, & Socii ejus. Rabb.

dũ est itaque ne nostrâ ignaviâ [pereant a-]nimæ, quarum salutem quodammodo in manu nostrâ ponit Deus. Ille enim est salutis causa efficiens, Pastor verò causa adjuvans; ille servat principaliter & absolutè, nos servamus ministerialiter & * organicè. servat Deus nos, sed non sine nobis. 2. Cor. 5. 18. 19.

Si suis auditoribus salui est bonus Pastor, sciãt mali & ignavi eorum quibus præsunt imputandum sibi esse exitium Calvin.

* Christus salvat ἱλαστικῶς, i. propitiatoriè; nos ὀργανικῶς

Ob. At cavillantur fanatici. Regeneratio & conversio soli DEO tribuuntur, ergo non Ministerio. Sol. Subordinata non pugnant. Nec opponenda est causa principalis, causæ Instrumentali, cum effectus de utraque Æquè, licèt non Æqualiter prædicetur. Proinde distinguendum est. Conversionis causa est duplex. 1. Principalis, & sic conversionis honor soli Deo competit. 2. Instrumentalis, & hoc est verbi Ministerium. Opus enim hoc operatur Deus ut causa principalis, at non immediatè; sed per verbum prædicatum, auditum, &c. summe itaque est necessarium S. Ministerium, tum propter gloriam Dei, ut publicè colatur & celebretur Deus; tum propter salutem nostram, ut fides & pietas in nobis excitetur ac foveatur, quæ sine hoc aut nulla esset, vel propter nostram pravitatem facilè flaccesceret, & ut Ecclesia Dei in terris conspiciatur, & ab Idololatris facilè distinguatur, &c.

Malè opponunt, quæ sunt componenda.

Potuit Deus solo jussu, imò solo nutu nos liberare, qui dixit & facta sunt, sed nõ solus hoc vult agere, verùm homines in tã glorioso opere socios atque adjutores habere.



Digitized by Google

Sed vela contrahenda sunt. Quorsum quæso omnes hi tituli, quorsum hæc elogia? nisi amorem, honorem, pretium, & reverentiam cælestis doctrinę ministerio concilient. néve pastores suâ dignitate insolescant, cogitent se, non Dominos gregis esse, sed Ministros; nec hæc nomina accepisse ad quietem & otium, sed ad laborem, ut inveniantur in opere, quod signantur in nomine: suáque sibi dona data esse, non propter se, sed ut ea aliis dispensent; meminerintque Deum hujus dispensationis exactam ab eis rationem exacturum.

V. Plura in Appendice Thesauri D. Bernerd. p. 162.

---

# Cap. III.

*Egimus hactenus de honorificis Sacri Ministerii titulis. Restat nunc ut ad argumenta & rationes quibus ejus necessitas & efficacia evincitur, descendamus.*

Synech. Gen. nam genus appropriatur nobilissimæ Speciei. 1. homini. à L. Vbi vir gravis & authoritate pol-

1. Patet S. Ministerii necessitas, à Dei mandato. Marc. 16. 15. prædicate Evangelium omni creaturæ. (1.) omni rationali creaturæ, vel omnibus gentibus. Matth. 28, 19. Act. 10, 42. hinc Apostolus jamjam moriturus, Timotheum adjurat ut opportunè & importunè Evangelium præ-

Digitized by Google

prædicet. 2. Tim. 4,1.2. hoc onus Christus Petro ter imposuit, & contentiosissimè exigit ab omnibus Ministris suis, ut pascant, pascant, pascant. Joh. 21,15. non est itáque inventum humanum, sed Sacrosanctum Dei institutum, omnibus apprimè necessarium, quos enim salvat Deus, hos ordinariè salvat per media.

lens ita seriò obtestatur, res seriò & diligenter curari debet. Aretius.

2. Sicut S. Ministerium est necessarium necessitate præcepti; ita & necessitate Medii. Hæc est ad cælum via regia, via ordinaria: conversionis & salutis primarium medium est Evangelii prædicatio Rom. 10,14.15. 1. Cor. 1, 21. placuit Deo per * stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Act. 11,14. 1. Tim. 4,16. per hoc, datur Spiritus Sanctus. Gal. 3,2. Act. 10,44. Hoc est brachium Domini, & potentia Dei ad salutem. Isa. 53,1. Rom. 1,16. Hoc salutis medium sanctissimè observavit ipse Christus. Matth. 4,17. & 11,1. Luc. 4,18.19. proinde mittit Cornelium, non ad Angelum, sed ad Petrum, à quo audiret quid faceret. Act. 10,5,6. itidem Paulum licèt extraordinariè conversum, tamen in honorem Ministerii ad Ananiā remisit à quo disceret, quid faceret. Act. 9,6.10. ita Philippus Eunucho mittitur. Act. 8,29. Sic visum est Deo voluntatis suæ arcana docere homines, sed per homines; hunc habemus thesaurum in vasis

Ordinaria ratio dandi nobis initium vitæ æternæ est per Ministerium. Vrsin.

* Deus per simplicem & quasi stolidum modum prædicationis Evangelii (sicut videtur irregenitis) electos per fidem servat. Dixon.

Hoc est certissima panacea, & adversus omnes animi morbos cæleste prophera peution.

testaceis, ne Dei potentia obscuretur, 2.Cor.4,7. per se quidem Deus hoc præstaret, immediatè & extraordinariè, sed has partes hominum Ministerio ordinariè delegavit. Hoc itaque statuit primarium esse Regenerationis nostræ ὄργανον. Mal.4,5.6. Jacob.1,18. 1. Pet. 1, 23. 1.Cor.4,15. Hoc est semen & pabulum, hinc comparatur cibo. Jer.3,15. Pluviæ & rori, Deut.32,2. Isa.55,10. Luci salutiferæ, Act. 26, 18. Psal. 119, 105. & Dei faciei; Psal.27,4.& 105,4. 2.Cor.4,6. at absque cibo nulla vita, absque pluvia nullum (ordinariò) incrementum, absque luce nullum solatium, & absque facie Dei nullum gaudium. Hoc oculos illuminat, Ps.19, 8. cor exhilarat, [Micha.2,7.] dejectos erigit, Isa. 57, 19. mœstos consolatur, Isa. 40,1.2. mortuos excitat, Joh.5,25. frigidos instar ignis calefacit, obstinatos instar mallei contundit, Jer. 23, 29. & spiritum adoptionis per quem obsignati sumus in diem redemptionis donat. Hoc, maximum benedictionis Dei indicium. Exod. 20, 24. quocunque in loco memoratur nomen Dei, ibi benedicit populo, preces exaudiendo, in dubiis dirigendo, & omnibus bonis tum internis, tum externis locupletando. adumbratur hoc in illo Michæ epiphonemate (licèt falsâ nitatur hypothesi) Judic.17,13. nunc novi Jehovam

Deficiente lumine, tenebræ necessariò oriuntur. Aristot.

Sine verbo ne in Paradiso optârim vivere, at cũ verbo etiam in inferno facilè est vivere. Sicut in hoc mundo quasi in inferno vivimus, & nos consolamur spe quam verbũ Dei nobis ostendit, quâ vincimus omnis generis incommoda & cruces. Luther.

vam benefacturum esse mihi, eò quòd est mihi Levita in Sacerdotem. rectiùs & diviniùs divinus ille Psaltes. Psal. 65, 4. beatus quem eligis, & appropinquare finis, ut habitet in atriis tuis; saturantur bonis domûs tuæ, rebus sanctis templi tui. cui suffragatur Christus. Luc. 10. v. 23. beati sunt oculi quæ vident, quæ vos videtis.

Pereant itáque necesse est, & meritò pereant, quicunque spiritualem hanc animi panacen vilipendunt & fastidiunt. Facessant ergò Apostatæ isti abominandi, qui oves Christi ab his caulis abigunt, & in luporum fauces projiciunt, multis pestiferis erroribus ac teterrimis deliriis eas fascinantes. Facessant item fanatici isti qui Revelationes & enthusiasmos jactant, spreto verbi Ministerio; tales in tentationes superbissimas & laqueos Diaboli periculosissimos certò & subitò incidunt. Hos falsò redatguit clarif. Hildersh. in Joh. 4, 45. p. 384 &c.

3. Ministerii necessitas & fructus constat ab ejus usu & fine. hi sunt multiplices, quos paucis verbis, & graphicè depinxit Apostolus. Ephes. 4, 11. ad 15.

1. Instituit Christus Ministerium ut instaurentur sancti, tanquam luxata membra in proprium locum reducta; luxatio facta est per peccatum primi hominis, hinc variis modis omnes aberravimus: Deus verò nos restituturus, varietatem donorum dedit Ministris suis, ad instauran- Principium, medium ac complemẽtum salutis, non nisi per horum ministerium Deus inchoat & absolvit.

randum sanctos Christo capiti, & inter se agglutinandos. 2. ut exædificetur totũ corpus Ecclesiæ, dedit enim Pastores nõ ad evertendam, sed ad ædificandam Ecclesiam. 3. ne maneamus perpetuò pueri, ignari eorum quæ scire debemus, ne fluctuemus agitati ventis contrariarum doctrinarum, ne denique decipiamur impostorum insidiis. 4. ut serveretur Vnitas & Harmonia Ecclesiæ in cultu Dei, & veritatem cum charitate sectemur.

Omnia Pastorum dona, sive gratis data, sive gratum facientia, dantur ut Ecclesiæ prosint. à Lap.

4. Imbecillitas & miseria nostra satis indicat quàm necessaria sit Ministerii cõservatio. Omnes naturali laboramus morbo & malo hæreditario; Ergo omnes indigemus salso & sapido Ministerio, ut sanitatem recuperemus. Deinde omnes à gratia Dei abalienati sumus, ità ut nosmet ipsos adjuvare non possimus, viribus omnibus destituti. Rom. 5, 6. Psal. 119, 179 Isa. 53, 6. Nec ægroti tantùm aut imbelles sumus, sed planè mortui in peccatis. Ephes. 2, 1. ubi uno verbo quasi fulmine, totus homo quantus quantus est, prosternitur; neque enim naturam dicit læsam, sed mortuam per peccatum, ideòque iræ obnoxiam.

V. Pleniùs Hildersh. in Joh. 4, 35. p. 278.

5. S. Ministerii necessitas, tristissimis tum Israelitarum, tum Gentilium prædicatione verbi destitutorum, exemplis, constat: Tales vivunt in mundo sed absque

Digitized by Google

absque Deo. 2. Paralip. 15, 3. & absque Christo. Ephes. 2, 12. cessante verbi ministerio populus statim fit rebellis. Exod. 32, 1. absente Mose dies tantùm 40. vitulum aureum conflant Israelitę & adorant. Discedente Paulo surgunt lupi. Act. 20, 29. ubi non est visio (1) cessante publicò verbi Ministerio, denudatur populus. Prov. 29, 18. ubi Pharangh, varias habet versiones. 1. significat denudare. Num. 5, 18. ita sublatâ verbi prædicatione populus denudatur verâ & salutari Dei cognitione, fide, amore & armaturâ Dei, unà cum protectione & tutelâ ejus. 2. Rebellare, qui verbi Ministerio carent, hi rebelles & inobedientes sunt Deo & hominibus, hoc enim civili potestati non officit, sed stabilit. 3. feriari, tolle hoc, & statim feriantur populi, & à studio bonorum operum cessant. 4. Dissipare & separare, ubi non est visio, ibi populi à se invicem sævis inimicitiis separantur, & variis erroribus dissipantur, instar ovium nullum habentium Pastorem. Matth. 9, 36. nam ut deficiente rege in Israele; quisque quod rectum videbatur in oculis suis faciebant. [Judic. 17, 6.] ità deficiente Pastore unusquisque propriam sequitur phantasiam. Hi sunt nonnulli fructus qui à DEO per verbi ministerium humano generi communicantur; ideòque singulari honore & amore

פָּרַע nudavit, rebellavit, cessavit, retrocedit, defecit. Pagnin. ultus est.

amore dignissimum est. Philip. 2. v. 29. 1. Thess. 5, 13.

---

# Cap. IV.

*Textûs explicationem & demonstrationem vidimus; à Thesi jam ad Hypothesin, à Doctrina ad usum & applicationem properamus. Eliciuntur hinc quàm plurima Consectaria & Corollaria.*

1. ad διδασκαλίαν, & informationem.
2. ad παιδείαν, & instructionem.
3. ad παράκλησιν, & consolationem.
4. ad ἐπανόρθωσιν, & reprehensionem.
5. ad προτροπὴν, & hortationem.

1. Ostenditur Ministerium dari Ecclesiasticum. quorsum enim tot non solùm nomina, sed etiam insignes tituli & celeberrima elogia in S. Scriptura huic ordini assignarentur, si in Ecclesia talis quidem ordo non extaret? neque Ministerium hoc duraturum est, in mensem, annum vel unum seculum (ut somniant fanatici) sed usque ad finem mundi. Quod sequentibus argumentis manifestum fiet. 1. κατασκευαστικῶς, veritatem confirmando. 2. ἀνασκευαστικῶς, Anabaptistarum strophas refellendo.

1. Pro-

1. Probabatur à Prophetiis illis Evangelicis, & promissis, quibus Deus Ecclesiæ se fecit debitorem. Spondet populo suo (non tantùm primitivis temporibus degenti, sed & in omnibus seculis) se daturum, pastores secundum cor suum, qui pascerent eos scientiâ & doctrinâ, Jer. 3,15. & 23,4. Isa. 30,20. & 60,1.2. & 62.2. 6.7. & 66,20.21. Ezech. 44,23.

2. A promissione perpetuæ Christi præsentiæ & auxilii cum verbi Ministerio, patet ipsum esse perpetuum in Ecclesia; promisit verò Christus se nunquam defuturum ministris suis usque ad finem mundi. Matth. 28, 20. Ecce, vobiscum sum, non die, vel anno; sed omnibus diebus, vel in omne tempus, usque ad consummationem seculi. (1) usque ad finem mundi: ita enim συντέλεια τοῦ αἰῶνος usurpatur. Matth. 13,39.40. & 24, 3. Heb. 9,26. licèt alibi αἰών, æternitatem denotet, Matth. 6, 13. quia tamen hîc additur συντέλεια, quæ in æternitate nõ habet locum, ideò pro tempore hujus vitæ, sive pro duratione hujus mundi usurpatur. Licèt in mundo variè quassetur, & multi ab eo dehiscant, non poterit tamen fundĩtùs deleri; Christus enim suam ecclesiam ædificabit, nec inferorum portæ adversus eam, aut Ministerium ejus prævalebunt. Nec solùm Apostolis hoc est pollicitus,

quòd

quod cum ipsis sit, sed simpliciter discipulis suis omnibus; neque enim Apostoli ad finem mundi victuri erant, unde nobis & his qui post nos erunt, hoc promisit. Spectat verò hæc promissio primariò ad Apostolos, secundario ad eorum successores.

3. Munera Ministerii sunt perpetua, ergò & ipsum Ministerium. Probatur antecedens, verbi prædicatio & Sacramentorum celebratio sunt munera Ministerii; at ea semper sunt duratura. Ephes. 4. v. 11. datur Ministerium, non in unum seculū, aut ad ædificationem unius viri, sed corporis Christi mystici, (1) totius ecclesiæ per omne ævum. deinde Sacramentorum usus ad finem mundi permanebit. Matth. 28, 19. 20. 1. Cor. 11, 26. commemorate mortem Domini donec veniat, scil. ad judicium. Manente verò officio, necesse est ut maneant, qui illud subeant. Ubi aliqua est religio, ibi ut aliqui sint delecti & ordinati ad eam sustentandum, omninò necesse est. hinc vel Ethnici & Idololatræ suos habuere sacerdotes, quibus religionem suam sustentarent & propagarent; ut perhibent Scripturæ de Sacerdotibus Ægypti, Baal. &c.

4. Ab officii hujus necessitate. fides est absolutè necessaria ad salutem. Joh. 3, 16. 36. at absq; verbo & Sacramentis nulla

fides.

fides. Rom. 10, 17. fides ex auditu, & quomodo credent nisi prædicetur? 2. per Baptismum Christo inserimur. Rom. 6, 3. Gal. 3, 27. 3. per Sacram cœnam, communionem habemus cum Christo. 1. Cor. 10, 16.

5. Manente Ecclesiâ, manebit & Ministerium Ecclesiæ; at Ecclesia militans semper manebit in terris, ut videre est. Jer. 31, 36. Matt. 16, 18. Eph. 3, 21. Necesse est itáq; ut sicut Ministerium ortum habuerit ab origine mundi, quia semper fuerunt electi; ita & in finem mundi necesse est ut duret, quia semper erunt electi quorũ salus per ministerium est promovenda. nam ut ecclesia per ministerium colligitur, sic per idem conservatur. Quamdiu itaq; Deus in his terris habebit, ecclesiam ædificandam, vineam plantãdam, agrum colẽdum, gregem pascendum, messem colligẽdũ & animas salvandas, tã diu manebit S. Ministerium ad hòc opus peragendũ. nã ubi Deus habet populũ convertẽdũ, ibi statim aderit Paulus, ibiq; manebit, Act. 18, 10. 11.

6. Privilegium est novæ & triumphantis Jerusalem peculiare, nullum habere Templum in se. Apoc. 21, 22. Sancti enim in cœlo nec Ministerio, nec Sacramentis indigent, quia Deus est templum illius, ille est omnia in omnibus. Immediata itáq; Dei fruitio in hoc mundo absq; mediis, est delirium dignũ fronte Anabaptisticâ.

Ibi fidei succedet Visio, Spei fruitio, & charitatis erit perfecta consummatio.

In Ecclesia triumphante datur cultus Dei immediatus absq; templo, & absq; mediis; ibi cessabunt Prophetiæ. 1. Cor. 13, 8. In Ecclesia verò militante, Prophetiæ magni sunt æstimandæ. 1. Thess. 5, 20.

7. Cura Apostolica pro successorum continuatione in Ecclesia, duratione Ministerii in ecclesia luculentissimè ostendit. Paulus hoc Tito mandat, ut oppidatim Presbyteros & Episcopos constituat. deinde quales Pastores deligendi atq; ordinandi sint, describit, & regulas præscribit. Tit. 1, 5. ad 10. itidem Timotheum monet, ne quem temerè ordinet; sed prius probet &, examinet an probatæ sit vitæ & doctrinæ, taliq; munere dignus. 1. Ti. 5, 21. 22. jubetq; ut mãdata servet, (1) mãdata ad Ministeriũ pertinẽtia servet usq; ad Christi adventũ [1. Ti. 6, 14.] quod nõ de Timotheo personaliter est intelligendũ, sed mãdatũ est omnibus Evangelii Ministris datũ, qui usq; ad finem mundi successivè vixerint.

8. Constat hoc, honore, reverentiâ & & obedientiâ Apostolorum successoribus jure mandati, debitâ. 1. Thess. 5, 12. 13. Phil. 2, 29. Heb. 13, 17. at sublato Ministerio, tollitur honor &c.

V. Plurà apud clariss. M. Leigh. in Syntag. Th. lib. 6. c. 2. D. Gauden. Hyperaspistes. Obj. 2. p. 143. &c.

9. Jubet Deus ut honorificis alantur stipendiis. Gal. 6, 6. 1. Cor. 9. 13. 14. 1. Tim. 5, 17. 18. Hoc jus est universale, non ad solos Apostolos, sed ad quosvis præcones Evangelii pertinens. Cessante verò Ministerio, irrita omninò esset hæc sanctio.

Digitized by Google

Faceſſant itáq; fanatica iſta Anabaptiſtarum deliramenta; qui ſpreto verbi Miniſterio, è proprio fingunt cerebro, expectandas eſſe novas Revelationes & illuminationes, uti olim finxerunt ἐνθυσιασταὶ. Hos remittit Deus ad legem & Prophetas. Iſa. 8, 20. ibi voluntatem patefecit ſuam, nec aliæ Revelationes, quærendæ ſunt. Hoc nomine, Deus publicum inſtituit Miniſterium, idq; mirabiliter ab initio conſervavit; & graviter edicit, ne quis conſilium petat à Mago, ariolo, ſortilego, aut talibus Diaboli ἐνθυσιασταῖς. Deut. 18, 10, 11. 12. at quid in dubiis faciendum eſt? Miniſtris Dei auſcultandum eſt. v. 15. Tanta verò eſt Anabaptiſtarum pervicacia, ut externum verbi Miniſterium, literam vocent mortuam, nec fidei aut ſalutis eſſe organum & medium agnoſcant; ſed ad internas Revelationes, & afflatus Spiritûs nos remittunt. Horum autem ſtrophæ facilè diluuntur.

Et præ aliis, Elaboratiſ. illud Ius Divinum Miniſterii Evang. cap. 1. 2.

---

# Cap. V.

*Diluuntur Anabaptiſtarum, Socinianorum, Suenckfeldianorum, & Enthouſiaſtarum Stropha & offucia.*

1. Obj. Primum Libertinorum κρησφύγετον, petitum eſt, è Jer. 31, 34. non docebunt ampliùs unuſquiſque proximum ſuum, & fratrem ſuum dicendo, cognoſcite Jehovam, omnes enim cognoſcēt

me, à minimo ad maximum. Ergò in Nov. Test. verbi ministerium (quoad Anabaptistas) est planè abolendum.

Apices juris non sunt j°. Sensus verborum est anima legis Reg. Iuris.

Sol. 1. Sensus Scripturæ, non verba, est Scriptura, nec consistit in verborũ foliis, sed in radice rationis. Scriptura enim non tam accipitur formaliter, prout literarũ apicib. & Syllabis describitur, quàm Materialiter, prout consilium & voluntatẽ Dei nobis ostendit. non est itáq; hærendum in cortice: hoc Pontificios & Anabaptistas in quàmplurimos perduxit errores.

2. Si literam Textûs spectes, privatam potiùs tollet instructionem, quàm publicam Verbi prædicationem; non enim dicit Propheta, nullos fore verbi Doctores; sed nõ docebit proximus proximũ suum, & frater fratrem suum. at huic glossemati occurrit Apostolus. Col. 3, 16. 1. Thes. 5, 11.

A Positione unius, vel plurium causarum ad omnes alias tollendas, non valet argumentum.

3. Textus ipse est promissio. at Promissiones nõ evertunt Præcepta; neq; positâ causâ primâ tolluntur media. Sicut nõ sequitur, Deus omnes pascit, Ergò non opus est pane & agriculturâ; per hæc enim media Deus pascit. Ita non sequitur, Deus omnes docet, Ergò non opus est verbo, per verbum enim prædicatum omnes docet.

4. Verè & genuinè, ostendit Deus Electos non solũ Externè per Ministerium; sed etiam internè per Spiritum Sanctum doceri. Nec loquitur Propheta ἁπλῶς, sim-

Est fallacia à dicto se-

simpliciter, absolutè & exclusivè; sed comparatè & κατά τι. ut passim fit in Scriptura. Hos. 6, 6. Psal. 50, 8. & 51, 16. ubi negativè dicta, sunt comparativè intelligenda. q.d. illustrior & amplior erit cognitio Dei in Nov. Test. quàm fuerit in Veteri. 1. Quia in Vet. Testam. obscurè sub umbris ac typis Christus obumbratur. at in Nov. Test. jam exhibitus apertè prædicatur, adeò ut puerulus, in Catechesi institutus, explicatiùs intelligat mysterium Evangelii de Christo, quàm olim multi Sacerdotes, quia terra repleta erit scientiâ Domini. Isa. 11, 9.

cundū quid, ad dictum simpliciter. Nihil enim sequitur à Negatione unius Speciei, ad Negationem Generis.

2. Quia major erit eorum numerus qui salutari Dei cognitione imbuti sunt, in N.T. quàm in Vet. cum verbi prædicatio non ampliùs uni genti sit astricta, sed omnibus gentibus est communis.

3. Propter uberiorem Dei gratiam non erit opus tanto labore & molestiâ in docendis Electis. ut patet. v. 33. Scribam legem meam in corde ipsorum: non in labris, tabulis aut fimbriis, ut olim apud Judæos, sed in corde & voluntate, pios affectus & promptitudinem erga illius legem infundendo. Sit vice coronidis, illud selectissimi illius Dei Opt. Max. organi, Calvini, in locum. Deus qui obscuriùs se patefecerat sub lege, plenum fulgorem promittit in Evangelio, ita ut ejus cogni-

Non docebunt [1] non opus erit magno labore & molestiâ in docendo Electos. Sym Gē. Hyperbolica. Pisc.

tio futura sit familiaris. Sed hyperbolicè extollit hanc gratiam, cum dicit, neminem opus habiturum doctore vel magistro, quia quisq; satis edoctus erit. neq; enim præcisè & sine exceptione dicitur, non docebit quisq; proximum suum, sed non docebit dicendo, *cognoscite Iehovam.* videmus ergo Prophetam promittere cognitionem, ut non sit ampliùs alphabetarii; nam hæc particula, Cognoscite Jehovam, designat prima rudimenta fidei. &c. Tenemus ergo consilium Prophetæ, nēpe tantam fore lucem Evangelii, ut satis appareat Deum liberaliùs agere cū populo suo, quoniam lux erit ejus tanquā Sol in meridie. Inscitè itaq; & perperā abusi sunt hoc Testimonio, fanatici quidā Anabaptistæ, qui horrēdis deliriis fuere inebriati; Diabolus enim cum turgerent tantâ Superbiâ, potuit eos fascinare pro arbitrio suo. &c.

2. Obj. Confugiunt Anabaptistæ tanquam ad sacram anchoram, sed incassum, ad illud Isaiæ 54, 13. ubi Deus promittit fore, ut omnes fideles sint θεοδίδακτοι (1) edocti à Deo per Evangelii prædicationem. Ergò superfluum est (quoad Libertinos qui Spiritus tantum magisterium jactant) verbi ministerium.

Sol. pellucidæ technæ! Hoc enim non tollit, sed extollit verbi ministerium, cujus non minùs in Novo, quàm in V. T. fuerit

usus

usus, protritū est illud, Scriptura est optima interpres Scripturæ, quid, sit à Deo doceri docet Christus. Joh. 6, 45. Deus nos docet bifariam. vid. externâ verbi prædicatione, & internâ Spir. S. revelatione; promittit hîc Christus Electos suos doctos fore, non tantùm â Doctoribus Ecclesiæ exteriùs, sed & interiùs à Spiritu Sancto. Opponit Christianos Judæis, hi enim exteriùs magis quàm interiùs à Deo in V. T. docebantur. Docet Spiritum Sanctum efficacem fore per verbi ministerium, ac dona sua largiùs in Ecclesiam in N. T. effusurum, utramque docendi rationem, & interiorem & exteriorem conjungit. Doceri itaque à Deo, est doceri non immediatè, sed mediatè per verbi prædicationem, ut patet. Luc. 10, 16. Act. 10, 33. Quod si hic Textus Ministerium tolleret, tum aliis Scripturæ locis repugnaret. Jer. 3, 15. Rom. 10, 14. Matth. 28, 20. at hoc absurdum est, amicæ enim semper scripturarum lites. Ad rem & apposite Calvinus. Hinc apparet quantoperè delirent fanatici, qui hoc Testimonio abutuntur ad evertendam prædicationem verbi, & Ministerium quo Ecclesia utitur. Nam Ecclesiæ filii esse non possunt, nisi in ea se educari sinant. frustrà Revelationes arcanas jactabunt, quia Spiritus non docet alios quàm qui se Ministerio submittunt, proinde di-

Hæc non sunt opponenda, sed componenda, & S. Sto subjicienda: nam in homogeneis connexis & subordinatis unius inclusio, non est exclusio alterius.

Omnes illos pro Diabolis habeamus, qui nos à Ministerio aut clanculum,



Digitized by Google

ſcipuli ſunt Diaboli, non Dei, qui ordinem ab eo inſtitutum repudiant. nam hæc duo ſic conjuncta eſſe videmus, filios eccleſiæ, & doctos à Deo, ut diſcipuli Dei eſſe non poſſint, qui in Eccleſia doceri nolunt.

aut apertè in alia diverticula abducent; eosq; ſeu venenū lethale fugiamus. Calvin. contra Libertin. c. 9, 10.

2. Reſpondeo ad homines. Minimè decet Anabaptiſtas qui omnibus prophetandi Libertatem & licentiam concedunt, Prophetiam interdicere; attamen hæc ſunt febricitantis eorum ingenii ſpectra, morbique periculoſiſſimi indicia.

Qui pleniorem hujus loci cupit, explanat, conſulat accuratisſimū illud Jus Divinum, cap. 2. p. 35. 36.

3. Obj. 1. Joh. 2, 20. 27. Unctionem habetis, & nôſtis omnia; nec neceſſe habetis ut quiſquam doceat vos. hinc perperam ita ratiocinantur Enthuſiaſtæ:

Quiſquis habet Spiritum Sanctum, ille intelligit Scripturas abſq; doctore;
Sed nos habemus Spiritum Sanctum, ergo nos intelligimus Scripturas abſque Doctore.

Reſp. Negatur major, quos enim docet Spiritus S. hos docet doctoribus. Eph. 4, 11. & non immediatè, ut ſupra probatū eſt. At quorſum iſtos nodos in ſcirpo? quid enim apertiùs dici potuit pro verbi Miniſterio? Unctio docet vos (1) Spiritus ſanctus efficax eſt per prædicationem Evangelii, ad illuminandum mentes fidelium in omnibus ad ſalutem neceſſariis.

non

Digitized by Google

non quòd omnia ſciant ſimpliciter, hoc enim ſoli Deo eſt proprium. Joh. 21, 17. nec perfectè ut in Patria, quia hîc ſumus in via, & in parte cognoſcimus: cognoſcunt verò omnia ſcitu neceſſaria ad Anti-Chriſtum agnoſcendum, & illius inſidias cavendũ, ut conſtat ex contextu. v. 21. 26. 27. nec neceſſe habent ut quiſquam doceat illos (1) religionis elementa; nam Spiritus Sanctus docet regenitos (de his enim loquitur Apoſtolus) non tanquam rudes & elementarios de rebus ignotis ſed ut res jam cognitas altiùs eorum animis infigat, q.d. Scientiam rerum omniũ vobis ad ſalutem neceſſariarum concedo; ſed de conſtantia veſtra ſum ſollicitus, ne à Chriſto ad Anitchriſtum, à luce ad tenebras deficiatis. v. 28. 2. Loquitur Apoſtolus non abſolutè, ſed comparativè, (1) ita planè & plenè docebit vos Spiritus S. ut in vobis docendis, & de veritate cæleſti perſuadendis magnoperè elaborandum non fuerit. [Vide reſponſ. ad Jerem. 31, 34.]

Eſt Hyperbole, quá ſignificat Apoſtolus ſe nihil afferre, quod illi jam anteà non intellexerint, quos ipſe commonefaciat potius quã doceat. Bez.

3. Si gloſſam ſpectes Anabaptiſticam, reddit Apoſtolum ſibi contradicentem. Ad quid enim ſcribit hanc Epiſtolam fidelibus, ſi omnia ſimpliciter ſcirent, & nullo doctore indigerent? Deinde gloſſema hoc toti contradicit Evangelio. fruſtrà enim precaremur Dominum meſſis

operarios emittere in suam messem; si operarii fuerint supervacanei? item frustrà esset Titi & Timothei ordinatio. Imò & frustrà Christus dedisset Pastores & Doctores usque ad finem mundi duraturos.

4. Ob. Potest Deus servare suos absque Ministerio, ergo vult.

Sol. Non sequitur. A posse ad esse non valet argumentum. Deus omnipotentiâ suâ potest plurima efficere, quæ non vult. Potuit servare Noachum sine Arca; sed noluit. Potuit docere Judæos absque Levitis, & evangelium absque Apostolis propagare, at noluit. Ita potuit nos salvare immediatè sine mediis, sed visum est illi ad regenerationem in nobis efficiendam, uti mediis, & illa nobis præscribere. Ut patet Rom. 10, 14. ubi eleganti gradatione docet Apostolus, quibus mediis, & quo ordine ad fidem & salutem, ab imo ad summum producamur.

5. Obj. oggannniunt fanatici. Utile esse verbi Ministerium ad homines regenerandos; inutile verò Regenitis.

Sol. Impii vocantur absurdi, at hi sunt ipsâ absurditate absurdiores. q. d., cibum pueris esse utilem, adultis verò noxium, superfluum. Hos refellit Apostolus, Eph. 4, 13. perdurabit ministerium, non in

annum

annum, aut donec regeneremur, sed durabit donec omnes, electi perveniant in unitatem fidei, & cognitionis Christi (1) non solùm donec uniamur Christo per fidem, sed etiam donec omnes redempti ad perfectam cognitionem in visione immediatâ perveniant: & ad plenam Christi staturam, quod fiet in Resurrectione. Deinde, verbi Ministerium non solùm est renati semen. Jac. 1.18. 1. Pet. 1, 23. sed & pabulum. 1. Pet. 2, 2. nec tantùm regenerationis organon, sed & ædificationis. Act. 20, 32. 2. Tim. 3, 16. 17. ideò jubet credentes Apostolus, ne deserant cætus ecclesiasticos, Heb. 10, 25. unde enim generatur fides, inde etiam nutritur & augescit. E.g. Jeremia fuit regenitus, comedit tamen verbum Dei, cessitque illi in gaudiũ & lætitiam cordis. Jer. 15, 16. David fuit regenitus, & verbum Dei fuit illi melle dulcius, & auro purgatissimo desiderabilius. Psal. 19, 11. Job fuit regenitus, at ille dicitur eloquia & verbum Dei in corde suo recondidisse, & tanquam nobilem aliquem thesaurum custodivisse, imò vel præ dimenso suo (1) magis quàm res sibi ad victum necessarias, observâsse, Job. 23, 12.

Recondidi in corde meo dicta ejus, ut ea, cum opus esset, expromerem boni patris-familiâs more. Mercer.

Quin etiam, vel optimi sunt naturâ tardi, securi, erroribus tum vitâ tum doctrinâ obnoxii, (ut videre est in Salomo-

Illis qui justificati sunt opus est hoc sale, ne de-

ne

nuò occupati putrefactione, recidant in corruptionẽ & perditionem. Chemnit.

ne, Sampsone, Davide & Petro) cognoscunt ἐκ μέρους, ex parte & imperfectè, nec quisquam ad tantam Scientiæ vel Gratiæ ἀκμὴν in terris perveniat, quin aliquid plus ultrà restiterit perficiendum. Philip. 3,12.15.2.Pet. 3. ult. ideóque verbi Ministerio valdè indigemus, ut excitemur, corroboremur, confirmemur, & ædificemur in gratiâ & cognitione Christi, &c. ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat demonstrandum.

---

## Cap. VI.

Consectarium. 2.

*Porisma ceu consectarium alterum spectat ad παιδείαν & instructionem, eamq́; multiplicem.*

1. Hinc elicitur Ministerii Evangelici absoluta necessitas. Tolle hoc sal, & statim in peccatis computrescimus omnes. Totus mundus non tantùm cadit, sed malitiosè & malignè jacet in malo. [1. Joh. 5,19.] & in æternum absque Prædicationis sale, perit, rancet, tabescet: nec minùs nunc indiget hoc condimẽto, quàm tempore Apostolico. Tolle Ministerium, & Solem è mundo sustulisti, quid enim est mundus absque ministerio, quàm imago inferni, imò ipsissima in terris tartara, ubi ordo nullus, horror sempiternus? inde pro-

Digitized by Google

protritum illud Constantinopolitanorũ. Satius esse Solem non lucere, quàm Chrysostomum non docere. Tolle ministeriũ, & simul tollis veram veri Dei notitiam: Pietatis ardor extinguitur, succrescit barbaries, lata denique omnium flagitiorum seges longè latèque diffunditur. Ibi nec Magistratus, nec subditus, nec ancilla aut servus scit quid faciat, sed sunt omnia in errore & densissimis tenebris. Quod quidem majores nostri in tenebricosa Papismi nocte magno suo malo experti sunt. Neque solùm in isto tempore Papistico, sed & in hoc (ut ita dicam) Atheistico, quo Ministri Christi conculcantur, ex Acheronte prorupit numerosa caterva Arrianorum, Arminianorum, Socinianorum, Anabaptistarum, Familistarum, Antinomistarum, Anti-Sabbatariorum, Anti-Scripturistarum, Anti-trinitariorũ, Libertinorum, Parilistarum, Quæristarum, Mortalistarum, Millenariorum, Enthusiastarum, Erastianorum, Separistarum, Semi-Separistarum &c. nec non quamplurimi alii ejusdem furfuris, quos nigro notavit carbone, unà cum totâ nostra Rep. non ita pridem Theologus quidam extraneus. Anglia (inquit ille) his quatuor annis facta est colluvies & Lerna omnium errorum, & sectarum; nulla à condito orbe provincia, tam parvo spatio

Reggus comment. de statu Angliæ.

Digitized by Google

ſpatio tot monſtroſas pertulit hæreſes, atque hæc. Tolle denique verbi Miniſterium, & ſimul tollis fidem, in vocationem Dei, ſalutem & æternam vitam. Rom.10, 15. 1. Tim.4,16. Hôc, homines à tenebris ad lucem, & à poteſtate Satanæ ad Deum convertuntur. Jere. 23, 22. Luc. 1, 16. 17. Hôc, Chriſtus Eccleſiam propagavit ſuã; hôc, proſtravit regnum Satanæ & tenebrarum. vid. * Paganiſmum, Idololatriã, ſuperſtitionem, & Ignorantiam. [Luc.10, 18.] Hoc, Jeſuitarum & Seductorum os obturat. idcircò cum Deus Antichriſti ruinam acceleraret, hoc ab illo factum eſt, non gladio Politico, ſed ſpiritu oris ſui. [2. Theſſ.2,8.] (1.) Evangelii prædicatione, Miniſtris, non Magiſtratibus, Deus cultum ſuum inſtituit his, religionem inſtauratam tutatus eſt, & collapſam reſtauravit. His dedit (quod vel primariis terræ Monarchis denegavit) claves regni cæli. Matth.16,19. Joh.20,23. adeò ut quicquid in terra ab ipſis ligatur, dicatur ligatum fore in cælis, & quicquid in terra ſolvitur, ſolutum fore in cælis. Unde à quodam non malè infertur. Sacerdotem Miniſterio ſuo fungentem, non ſolùm cunctis privatis hominibus eminentiorem eſſe, ſed etiam regibus. cui ſuccinit Chryſoſtomus. Ipſos etiam Angelos in hac parte miniſtris cedere, quia hæc

* V. Plura, in elaborat. illâ Apologia Edu. Vatehouſe. Arnig. p.66, 67. &c. ☞ & apud D. Andr. in Præcept.4. c.10. p.303. 804. ☞

Paſtorale munus, vel regio, vario reſpectu, palmam præripit Boules. Epiſ. Dedid. p. a.3.

hæc potestas à Deo Angelis nequaquam est concessa. Ad summam, sublato hoc Palladio ruit Ecclesia & Resp. ut videre est. 2. Chro. 15. 3. 5. sublatâ hâc luce, titubant homines. [Joh. 11, 10.] nam quid est homo sine doctore, nisi cæcus sine ductore, & sine Pastore ovis? Quid prosunt aurum, argentum, valetudo, amici &c. hâc verbi lucernâ extinctâ? Hæc est gloria illa Ecclesiæ, quâ eversâ evanescit ecclesia. 1. Sam. 4. ult. Hinc impii & inscii Dialecto Apostolicâ sunt Synonyma. Ephes. 4, 18. nec sunt lucida, sed obscura terræ loca violentiæ caulæ. Psalm. 74. 20. quòd si Davidico fidem non adhibueris Testimonio, ecce adi & audi seram scortatoris querimoniam. Prov. 5, 12. 13. 14. non auscultavi vocem Doctorum meorum. En amaritudinis radicem, peccatorum fontem! odio habebat instructionem, nec institutoribus obtemperabat. Hinc illæ lacrymæ. proinde spondet Deus se daturum Pastores fideles tanquam singularem gratiam. Isa. 30, 20, 21. dabit vobis Dominus panem angustiæ & aquam oppressionis: (en Plagam!) sed non avolabit ampliùs ullus doctorum tuorum, verùm oculi tui videbunt doctores tuos. (ecce medelam!) q. d. licèt patiamur famem, sitim, angustiam &c. probationis & purgationis ergò; Deus tamen nobis aderit

Inter beatitudines piorum, recenset habere fidum doctorem. Oecolamp. Inter alia

beneficia quibus Dei benevolentiam erga nos agnosci mus, maxi mum est quod verbũ suum mittit signum utique clementiæ est, quantumcunque etiã puniat. Ferus.

aderit in Doctoribus, qui tribulatos roborent, mæstos consolentur, & dubios doceant viam Domini: ita hos promittit ut grande bonum. Jerem. 3, 15. dabo vobis Pastores, non stultos & somniculosos; sed strenuos & vigilantes, qui non suo, sed sanæ doctrinæ pabulo, pascant vos. Vice versâ, famem, verbi denuntiat Deus ut malum pessimum. Amos. 8, 11. Isa. 29, 9. 10. Hos. 9, 12. immittam vobis famem, non panis, sed verbi Dei. Nulla tritici penuria adeò nos terrere debet, uti verbi Dei defectus: nam quantò præstantior est anima corpore, tantò magis pertimescenda est hæc fames; quia summæ indignationis Dei est indicium.

2. Summam nostram indicat miseriam. Omnes insulsos & insanos esse naturâ, & Sale gratiæ, Mortificationis & Pœnitentiæ destitutos esse, ostendit: nam quid opus est hoc Sale sanis? O quàm insipidi & instar rancidi, putidi, fætidi cadaveris, sunt homines (licèt hominibus sapiant) donec hoc sale cælestis doctrinæ sint condîti: utpote Deo ingrati, Sanctis invisi, omnibus odiosi. Gratias itaque Deo agamus maximas, pro hoc condimento; & quòd nos in hoc seculo nasci voluit, quo Evangelium liberè prædicatur. Obnixè precemur ut sicut ex puro-puto suo beneplacito hoc Ministerium nobis

Digitized by Google

nobis instituit; ita & in finem seculi tutò conservare velit.

3. Patet hinc S. Ministerii Dignitas & Efficacia. Inter omnes qui serviunt & ministrant Christo, Ministri Evangelici primas obtinent. Horum Ministerium est omnium præstantissimum; quia non serviunt hominibus, sed Deo. Hebr. 5, 1. nec in iis quæ ad præsentem vitam pertinent, sed in iis quæ regnum Dei, & æternam hominum salutem spectant. proinde vocatur *Honor*, v. 4. nemo sibi sumit hunc *Honorem*. Num. 16, 9. & Propheta, Speciosos appellat vel Pedes Evangelizantium. Isa. 52, 7. O quàm speciosi sunt pedes eorum! admiratio est Emphatica, non enim dicit simpliciter, speciosi sunt, sed o quàm Speciosi! quasi honor Ministerii verbis exprimi non posset. Deinde, si pedes eorum sunt adeò speciosi & desiderabiles; O quàm speciosæ & amabiles sunt eorum facies! disce hinc, quantus thesaurus sit Evangelium, quanta æstimanda sit ejus prædicatio, quanto deniq; * honore & amore sint complectendi Evangelii præcones. Hi, vel regibus terræ fuere in deliciis, idcircò vocavere eos, honoris & reverentiæ ergò, *Patres*. 2. Reg. 6, 21. & loquuti sunt amicè & humaniter ad eorum cor. 2. Chron. 30, 22. & 31, 4. & 35, 2. vel impius Saul, sanctum veneratur Samue-

**3. Confectar.**

**Pedes, pro toto homine. Synech. partis.**

**Evangelii Præconibus nihil suavius, nihil amabilius, licèt mundus illos odit, execratur, prosequitur. Weinrich.**

*** V. Ursin. Catech. in 4. mand. p. 761.**

**Piis ministris verbi Dei debetur honos etiam à præcipuis au-**

lem.1.Sam.15,13. & ipse Tyrannus Johannem reveretur. Marc.6;20. Imò tanto in pretio & honore fuit Paulus apud Galatas, ut tanquam Angelum Dei, imò tanquam ipsum Christum (quippe pro eo Legatione fungebatur) exceperint. Gal. 4,14. Cornelius adorat Petrum, non ut merum hominem, sed ut Prophetam Spiritu Dei plenum. Act.10,25. insignis Cornelii humanitas in hoc elucet; quod dux Romanus, vir illustris, tantum Petro detulerit honorem, ut ad immodicum reverentiæ signum, prolapsus sit. v.26. Ita Alexander, magnus ille Orbis Monarcha, Jaddum Pontificem Judæorum humiliter adoravit. Teste Josepho. Antiq. l. 11. c.8. Aquila & Priscilla pro vita Pauli, suam objecerunt periculo. Rom.16,3.4. & Obadiah, non sine propriæ vitę periculo abscondit centum Prophetas Domini. 1.Reg.18, 4. tanto in honore & pretio olim fuere Viri Dei. Hi sunt dona, non carnalia aut temperaria; sed Specialia & æterna: ideò Christus ascendit in cœlum, ut hi descenderent in terram. sunt singularis effectus Ascensionis Christi. Ephes.4,10.11. Donum Solis & Salis, Cœli & Terræ, huic cœlesti dono, collatum, est purum nihil. ideò suadet fidelibus Chrysostomus, ut domi Sacerdotem alant, sic enim Deum benedicturum eis in bonis temporalibus, & Spi-

thoritatis Ministris aulicis: hinc Obadia honoris ergò procidit in faciem suã coram Elijah, & appellat eum Dominũ suum 1.Reg.18,7. Vel ipse Nebachadnezar Orbis terrarum Monarcha adorat Danielem tanquam Deũ. Dan.2,46.

V. Plura. Hildersh. in Ioh. Lect. 68. p.316: 917.

& Spiritualibus. Hôc, gloria Dei dilatatur, fides alitur, augetur charitas; Hôc, ignari docentur, ignavi tanquam stimulis excitantur, leves & instabiles tanquam clavis trabalibus veritati figuntur. [Eccles.12,11.] convincuntur improbi, cinguntur infirmi, ignorantia deniq; rebellionis & sceleris mater radicitùs extirpatur. Hoc Ministerium Evangelicum præstat illud Legis. ut videre est. 2. Cor. 3, 7. 8. 9. proinde Johannes Baptista fuit major & præstantior omnibus Prophetis & Splendidis aulicis [Matth. 11, 7. 8. 9. 10.] quia Christum clariùs & pleniùs quàm aliquis Prophetarum cognovit, eumq; toti mundo ostendit, & præsentem digito indicavit; quod officium & dignitas, omnia Prophetarum officia & dignitates longè excellit: minimus tamen Pastor Evangelicus major & dignior est eo. Brevi, S. Ministerii dignitas undiq; elucet, si ejus perpendimus,

1. Authorem, non hominem, sed Deũ.

2. Antiquitatem, nam bonum quò antiquius, eo melius. at Ministerium Ecclesiasticum est antiquissimum, fuit enim ab initio, Ecclesia nunquam caruit S. Ministerio; neq; ante legem, sub lege, vel post legem. Ante Legem extitere Patriarchæ, qui suos instituerunt, & religionem ad posteros propagârunt. 2. sub Lege, exstite-

Hinc Vocatio ad Ministerium nũcupatur Gratia. Rõ, 1,5. & 12,3. & 15,15. Ephes. 3,8. per Met. Effic. quia ex gratia Dei hunc honorem & Gratiam accepimus, ut divitias Christi Evangelizem mundo: V. Pleniùs Brooki Riches of Christ. p. 314. &c. V. fusiùs, D. Geo. Dovvnom, Dignity & Duty of il Min. p. 40. 41. & & M. Hierõ. Concio. in Luc. 1,76. 77. p. 145. 146 Sacerdos dicitur Cohen (1) antistes vel princeps. Genes. 14,18. & 41, 45. Exod. 2, 16. Iob 12,19. quia Sacerdotium quasi nobi-

titere Sacerdotes, Levitę, Prophetæ. 3. Post Legem, Apostoli, Evangelistæ, Doctores. & Pastores.

3. Socios. vid. Patriarchas, Prophetas, Christum & Apostolos. Noah, totius orbis Monarcha, fuit concionator justitiæ. 2. Petr. 2, 5. Salomon regum sapientissimus, nominatur, * Koheleth, (1) Ecclesiastes, sive concionator. Eccles. 1, 1. quia docet Ecclesiastica, & quæ spectant ad salutem Ecclesiæ. Imò Christus ipse fuit primarius Evangelii præco. Hebr. 1, 2. ille dedit Prophetas, Apostolos, Pastores, &c. 1. Cor. 12, 28. & jubet nos rogare Dominum messis, ut extundat operarios. Matth. 9, 36. 37. Isaias fuit è stirpe regiâ. Isa. 1, 2.

lis sima & divina functio tum ferè principibus & primariis familiarum, ubi Melchisedec, Noæ, Abrahamo cōpetebat. V. Leigh Crit. in verbo. כֹּהֵן

* V. Comment. politissimum, M. Cotton in Ecclesiast. 1

Ecqua in aula excelsior dignitas, quàm regi in eodē loco in quo præivit regis filius inservire? Bowls.

4. Objectum circa quod versatur. vid. non corpus, sed animam; non leges humanas, aut commercia civilia; sed spiritualia quæ cultum Dei, & Ecclesiæ salutem spectant. Medicus curat corpus, Jurisperitus bona externa, Theologus animam. Quãtum ergò corpus animæ, terrena cœlestibus, externa æternis cedũt: tantùm cæterę omnes scientiæ huic cedere libenter debent.

5. Deniq; effectus supernaturales, vid. hominum conversionem, sanationem, & salutem.

Obj.

Obj. At Miniſtri ſunt & Servi, Ergò minimè honorandi.

Sol. Eſtò; at Servi ſunt Eccleſiæ Dei, & Miniſtri non terreni alicujus regis, ſed Chriſti, ſummi illius Regis Cœlorum, Terrarum & Inferorum; cui Domino ne Angeli quidem ipſi dedignantur miniſtrare & inſervire. Nec ſerviunt hi in vili aliquo & abjecto negotio; ſed in diſpenſatione Theſauri pretioſiſſimi, vid. gratiæ Evangelicæ. 2. Cor. 4, 7. at inter regum miniſtros *Theſaurarius* habetur unus ex honoratiſſimis. Quod ſi vel infima Dei ſervitus, ut frequentare limen in domo Dei, [Pſal. 84, 11.] putare ligna, & haurire aquam pro domo ejus (ſi animo fiunt ſyncero) ſit magnifacienda; tum ſervitus certè maxima non eſt aſpernanda. Tria ſunt quæ reddunt Miniſterium aliquod Honorificum. 1. Si Domino inſervitur honorando. 2. Si opus ipſum eſt honorificum. 3. Si præmium eſt magnificum. ad tria hæc in hoc noſtro concurrunt Miniſterio. 1. Dominus noſter eſt magnus ille Jehova, cœli & terræ Monarcha. 2. Miniſterium noſtrum eſt optimum, & munus auguſtiſſimum. 3. Præmium eſt munificentiſſimum. vid. Corona gloriæ. Nec enim in præſenti tantum vitâ honorabit

Talis λειτουργία vel altiſſimæ Hierarchiæ eſſet ornamento.

Excellentius eſt Deo in officio Sacerdotali inſervire, quàm apud

terrenos reges&primas ferre. Nazianz. Orat.7.

Deus. Pastores, qui honorant ipsum; sed & in futura. In extremo illo die coram Deo, Angelis & hominibus proveniet Andreas cum Achaia, quam Ministerio suo Christo lucratus est; Johannes cum Asia, Thomas cum India, Petrus cum Judæis, Paulus cum Gentibus, & omnes pii ac sinceri Pastores cum filiis suis, qui iis erunt gaudium & * corona in adventu Christi ad judicium, 1. Thes. 2, 19.

Corona (1) ij propter quos coronabuntur à Christo, laude fidelitatis, & præmio bonitatis. Piscat. V. Plenius. Hildersh. in Joh. 4. Lect. 77. p. 36.

Quid restat; nisi ut debitum honorem & reverētiam Pastoribus nostris tanquam Dei Legatis ac Ministris exhibeamus? Etsi enim vocantur Ministri, tamen sunt, Ministri Dei altissimi, cui severire est regnare: ideòque habendi non sunt pro abjectis & vilissimis mancipiis, sed pro talibus Ministris, quibus honore, reverentia & obedientia, Dei mandato debetur. ut videre est. 1. Tim. 5, 17. Tit. 2, 15. Heb. 13, 17. 1. Cor. 16, 15. 16. idcircò rogat nos Apostolus, ut non solùm cognoscamus, sed & agnoscamus eos ut patres, qui in Evangelio prædicando laborant; & * abundantiùs eos amemus & foveamus, quasi filii parentes nostros spirituales 1. Thessal. 5, 12. 13. Imitemur Galatas [4, 15.] qui ad quidvis Ministris Christi licèt sibi pretiosissimum præstandum, & præstantissimum largiendum fuere paratissimi; oculis enim nullam rem habemus

* ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ἐν ἀγάπῃ (1) eos magis ac magis charos ducatis, Beza. Habeatis illos in sum-

mus chariorem. Gemina tamen hîc adhibenda est *Cautio*. 1. Cavendum est, ne quis insolescat & superbiâ infletur hujusce muneris Elogiis; sciendum enim est virtutem & efficatiam nostri Ministerii non esse à nobis, sed à Deo. Act. 3, 12. 13. 1. Cor. 3, 5. 6. 7. nos imbelles sumus Ministri, non fidei Domini, sed tantùm instrumenta per quæ Deus operatur. Plantatio & rigátio nostra nihil proficit, DEO non dante incrementum. Præco voce feriat aures, at Deus est qui intùs corda movet, docet, flectit, Johannes aquâ baptizet, at Christus spiritu.

mo pretio & honore, ministrando eis necessaria ad vitam. Vatabl.

2. Cavendum est, ne Ministerium hoc honorificum vitiis nostris dehonestemus, & dedecoremus, quod faciunt, ebrii, ignavi, ignari, Hæretici, ambitiosi, Scortatores, aleatores, Adulatores, Venatores &c. Hi sal insipidum & infatuatum, officio suo minimè fungentes; non docent ut debent, non redargunt peccatum; byssina loquuntur verba, nec sunt peccatoribus Sal, sed Mel. [Ezech. 13, 11.] saliendi vim penitùs amisere, doctrinam Legis & Evangelii sanctâ non miscent conditurâ. docent quæ spernunt ipsi, qui luxuriosi, * scortatores & mundani sunt; at qui alios reprehendit, oportet ut ipse sit irreprehensibilis; aliàs frigidè alios redarguat, qui gravatus sui sceleris conscientiâ metuit

Infatuatur sal si prædicatoris vita turpibus scatet vitiis. q. verbum Dei effectu privatur, ut non moveat audientes; cujus enim vita despicitur, restat ut ejus prædicatio contemnatur. Ferus.

* Diabolus in omni peccato gaudet, at maximè in forni

catione, præcipuè Sacerdotum & religiosorū. Hieron. Quis tulerit Gracchos de seditione querentes? Clodius accuset mœchos, Catilina Cethegum? Juven. Sat. 2. V. Plenius. Baxter Saints Rest. P. 3. c. 14. sect. 9. p. 326. Horum conciones nihilo plus fidei ac gravitatis obtinent, quàm si fabulam in scena ageret histrio. Calvin. Lactant. Inst. l. 3. c. 26.

tuit opprobria. Difficile est eum benè docere, qui malè vivit; & qui ipse est insipidus, quomodo alios reddet sapidos? Concionator avarus, superbus, invidus, qui poterit iisdem vitiis inquinatos, castigare? quo ore eorum maculas absterget suis ipse fædatus? vel si fecerit, nil tamen profecerit; nec prosperè concionatur adversus malos, qui ipse malus est. Quod si festucam velint aliorum oculis eximere, suis ipsi trabem non habeant, ne audiant, Medice cura teipsum. Pharisæorum est, dicere, & non facere [Matth, 23, 3.] tales præceptis suis detrahunt pondus; & quod dextrâ ædificant, sinistrâ diruunt. quis enim obtemperabit, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? bonum est recta & honesta præcipere, sed nisi & facias, mendacium est ut acutè *Lactantius. Hi, cleri opprobrium, inter abjectos abjectissimi; non Pastores, sed impostores; non Doctores, sed seductores; non dispensatores, sed dissipatores; non speculatores, sed spiculatores; non Episcopi, sed * Aposcopi; Diaboli propagines, Organa Satanæ, & ipsissimæ mali illius imagines. Hi, statuæ Mercurialea quæ aliis monstrant viam, quam ipsæ nunquam ambulant. Instar campanarum quæ convocant homines ad voluntatem Dei audiendum & faciendum, ipsæ interim

* i. à scopo aberrantes.

rim auribus carent. More ſpongiarum mundant alios, ut tantò ipſi ſordidiores fiant. Citharam referunt, quæ pulſata aliis delectationem exhibet, quam ipſa non ſentit, & fabros iſtos lignarios, qui arcam Noæ & aliis parabant, ipſi verò in diluvio periere. De talibus graviſſimè & eruditè conqueritur. Nicol. de Clemangiis, Gerſonis Cancellarii Pariſ. diſcipulus. Quis illam mirari debet Politiam (inquit ille) undique perire, collabi, diſſolvi, prædæ paſſim atque rapinis exponi, in qua Speculator fit, qui cæcus eſt; Præco, qui mutus; Pugil, qui mancus; Medicus qui totus ſcatet ulceribus; Doctor, qui prorſus indoctus; ductor, qui viæ neſcius? Inde oritur ruina Eccleſiæ, labes morum, ſentina vitiorum, vitæ ſpurcitia, iniquitatis abundantia, charitatis refrigerium, fidei periclitatio, religionis exinanitio, ſchiſmatis peſtilentiſſimi virus exitiale, Sacerdotii totiusque ordinis Eccleſiaſtici contemptus & opprobrium. &c. Additur huic malo & gravius malum: quòd qualis Paſtor, talis populus; qualis dux, talis exercitus; errantes enim illi multos ſecum in errores abducunt, ut videre eſt. Jerem. 23, 15. Hoſ. 4, 9. & 6, 9. 10. Matth. 15, 14. Gal. 2, 14. Hinc Carolus Quintus feſtivè dictitabat, ſe ex triplici P. conjicere ſtatum urbis vel Reip. cujusvis.

Clemang. Epiſ. 75. p. 223. & Bernard. de cõſid. l. 4. & Bovvls Paſt. Evang. Epiſ. Dedicat. totaliter.

Sacerdotis peccatum ob perſonæ dignitatem fuit maximum, & hoſtiâ maximâ expiandum. Levit. 4, 3. Scilicet in vulgus manant exempla Regentum.

> Vtq; ducu lituos, sic mores castra sequuntur. Claud. Hinc Ebrietas aut libido in plebe jo simplex est peccatū, in Pastore multiplex, quia multos offēdit, & secum in eandem foveam ac ruinam trahit. à Lap.

jusvis. vid. considerando, qualis eò loci esset *Pastor*, qualis *Praeceptor*, & qualis *Prator*. A Pastore enim pendet Ecclesia, à Præceptore schola & juventus quæ est Reip. seminarium. A Prætore, curia & justitia. Pastor ergò est Sal Ecclesiæ; Præceptor est sal scholæ; & Prætor est sal civitatis. Qualis ergò est Pastor, talis est Ecclesia; qualis est Præceptor, talis est juventus; & qualis est Prætor, tales sunt cives. Meritò itaque Deus sanctitatem exigit ab omnibus sibi propinquis, maximè verò ab Angelis suis & nuntiis. Levit. 10, 2. 3.

> Nihil periculosius armatâ nequitiâ. Arist. in Rhet. Instar cupressorum, καλοὶ καὶ ὑψηλοὶ, καρπὸν οὐκ ἔχουσιν. Homines planè impios & pietate destitutos, neq; esse bonos Christianos neq; bonos Theologos, imò verè & propriè nō esse Theo-

Ob. At eruditi sunt, licèt mali.

Sol. In promptu est responsio. Quò doctiores, eò deteriores. Eruditio enim in malo homine malè habitat. est instar Sacchari in cloaca, instar vini in venenato poculo, & instar gladii in manu furiosi. profanantur sanè præclara illa Dei dona. vid. ingenii dexteritas, artes liberales, Scientiæ Theoreticæ & Practicæ, linguarum peritia. &c. quoties in homines impios inciderint. Diabolus certè in nullis (horrendo & justo Dei judicio) efficatiùs operatur, quàm in Ministris sceleratis & Apostatis; qui meritò nuncupantur Diaboli: [Joh. 6, 70. 71.] quo nomine nullum detestabilius creaturæ potest tribui. Tales exemplo suo non solùm nocent, sed & cogunt

Digitized by Google

cogunt alios ad imitationem. Gal. 2, 14. proinde gravissimum iis denuntiat Christus supplicium. Luc. 14, 34. 35. Insipidi ergo salis nunc exaudiamus pœnas.

logos: Probat acutiss. ille Scotus, Baronius, In exercitat. 5. art. 30. mihi. p. 282.

1. Sal insipidum hoc habet incommodi, quod naturâ ejus amissâ non possit restitui; nihil enim produxit natura, quo saliri & condiri possit. Deplorata itaque est infelicitas infatuati Salis; tenerrima caro fit terra pessima, quò generosius vinum, eò acrius acetum; corruptio enim cujusvis optimi est corruptissima. Diabolus nigrâ inambulans togâ est Diabolorũ pessimus. proinde Pastores degeneres difficillimè curantur: nil enim habent quo reparentur aut saliantur. Si coram Deo insulsi sunt alii, Ministris datur Sal, qui saporem illis conciliet; sin ipsi infatuati, unde illis petendum erit remedium? nam ut Theologus sincerus est hominum optimus; ita clericus nequam non bipedum solùm, sed & quadrupedum est pessimus. instar vitis, si frugifera, est arborum optima; sin sterilis, pessima. [Ezech. 15.]

Non datur sal salis, ejus vis deperdita non potest restitui.

Parùm interest inter nequam, & nequaquã, Matth. 25, 26

Quis unquã vidit prolapsum Clericum agentẽ pœnitentiã? Chrysost.

Vt nihil utilius bono & erudito Pastore; ita nihil perniciosius malo & ignaro. perniciosissimus enim talis homicida est.

2. Inutile est, & ab usu rerum abjicitur. Marc. 9, 50. neque terræ neque sterquilinio utile: non terræ, quia prohibet eam germinare; non sterquilinio, quia non sinit illud fæcundare. Ita insulsi Ministri foràs ejiciuntur, à Ministerio ut inutiles deponuntur, & censuris Ecclesiæ ex Ecclesia pelluntur. Res

Hos. 6, 9. Ferus. Occidunt male vivendo Pastores mali. Aug.

Digitized by Google

aliæ ſi à natura ſua degenerant, ſunt tamen aliquo modo utiles, vel in fimum, ad ſtercorandum agros, vel ad condimentum, ut vinum vappeſcens generat acetum. Sal verò infatuatum ita noxium eſt, ut vel ſterquiliniis ſterilitatem inducat. Judic.9,45. Deut.29,23. Ita inſipidi Miniſtri ſunt omnium deterrimi, ideò illis minatur Deus ſummum contemptum? Hoſ.4,6. Mal.2,8.9. Ezra.2,62. Æquiſſimum eſt, ut qui inhonoret & contemnat Deum, inhonoretur & contemnatur ipſe. 1. Sam. 2, 30. de DEO non eſt conquerendum, ſed de nobis, qui pacta & fœdera Dei violavimus, ideò nos honoribus & emolumentis expoliavit. non itaque vitio detur muneri noſtra calamitas, ſed Perſonæ.

Dignitas peccantis auget peccatum: quò melius quis cognoſcit, eò deterius delinquit. Criminoſior eſt culpa, ubi honeſtior ſtatus. Salvian. de Gub. l.4. p.127.

Vitium perſonæ non tranſit in rẽ.

3. Contemnitur & conculcatur ab hominibus; quod non ſolùm calamitoſum eſt, ſed extremè ignominioſum. Clament cum * Ecebolio Apoſtatâ. Calcate me Salem inſipidum. non enim conculcatur qui tribulationẽ patitur, ſed qui deficiendo infatuatur. Ita juſto Dei judicio Miniſterium eorum contemnitur, quorum vita multis vitiis contaminatur. ut patet in filiis Eli. 1. Sam. 2, 17. 22. 23. & 3, 13. & Levit. 10, 2. Vetus fuit proverbium, Inferni pavimentum galeis Principum, & Sacerdotum raſuris ſtratum eſſe: Væ itaq; Paſto-

* Socr. Hiſt. l. 3. c. 11.

V. Pleniùs, Bovvles Paſt. Evang. l. 1. c. 10. p. 66.

Vel hoc nomine, graviùs punitur filia ſacerdotis fornicantis, quàm aliarũ

Pastori vano, non vero; non vivo & gnavo, sed picto ac ficto; qui non est Pastor, sed Idolum, & larva Pastoris; qui non pascit oves, sed seipsum: gladius erit super brachium ejus, & super oculum dextrum. Zach. 11, 17. (1) confringet Deus potentiam ejus, & infatuabit consilia, vigor ejus defluet, & mentis sanitas evanescet. Debitas has pænas luent Pastores insulsi & inutiles.

2. Alterum Salis insipidi genus, sunt fratres *Dotati*, (ut seipsos vocant) licèt eos donis omnibus destitutos esse, vel cæco appareat. Hi instar pullorum perdicum, simul ac pedes exeruerunt de integumento, velocissimi sunt ad currendum. ita anatum pulli statim post partum natant: & leonum catuli matrum uteros stimulant unguibus, ad lucem festinantes: at talis festinatio cæcos peperit catulos. Hâc verò tempestate tenet insanabile multos docendi cacoëthes, qui putant se scire, quod planè nesciunt; & nescire se nesciunt. In cæteris omnibus artibus priùs discere solent homines, quàm docere; in sacris verò literis docent plerique quod nunquam didicerunt, priùs imperitorum magistri, quàm doctorum discipuli; quo fit, ut instar ceræ in omnem gyrentur partem, in omnem mirabili metamorphôsi traducantur formam. Hi non condiunt,

V. Ælian. Hist. l. 10. c. 1.

Meritò hi nuncupantur cauda populi. Isa. 9, 15. q. ignorantia eorũ est crassissima, & impudentia plusquam Cyrenaica.

Anteà effundere quàm infundi velint, loqui quàm audire paratiores, prompti docere quod non

Digitized by Google

didicerunt. Bern. Inanissima dolia acutissimè resonant.

diunt, sed intoxicant; non ædificant, sed inficiunt animas: Ad horam, non ad aram nati, Plantæ sine vita, fontes sine aqua, Stellæ sine luce, bullæ & unde maris quæ omni flatu in Syrtes rapiuntur: τυφλοὶ ὁδηγοὶ, cæci cæcorum duces; nihil hujusmodi Theologis ἀθεολογώτερον quorum Prophetia non est μαντεία sed μανία.

Aut hæc in nostros fabricata est machina muros.
Aut aliquis latet error, Equo ne credite Teneri.

Hæc hæresium multiplicium radix penitus exstirpanda est, utpote quæ longissimè serpente Gangrænâ multos infecerit, & latissimè se sparserit. O si huic monstro πολυκεφάλῳ debellando nonnulli provenirent Hercules! quiritantur multi, pauci verò huic malo averruncando manum admovent; adeò ut timendum sit ne plures putrescant, dum putribus parcitur. Ægyptii sunt hi, ideòque Pastores eis sunt abominationi [Gen. 46, 34.] quippe apud eos Pastores habentur pro hominum genere inerti & humili. Ut olim Caligula equum suum consulem; sic ipsi asinos faciunt Doctores: qui pro Ambrosia & nectare, fæces & excrementa, pro pharmacis & antidotis læthifera venena melle perlita palàm venditant, lolium tritico, &

Non mirum si falsa doqui te- le-

fæces

fæces vino commiſcent; falſa docent, & ſine fructu audiuntur. Jere. 23, 32. ſeducunt populum meum mendaciis ſuis, cum ego non miſerim eos, proinde non proſint populo huic. Apagite itaque apagite fanaticorum iſtam inſulſorum & inſipidorum fungorum turbam. vid. Anabaptiſtarum, Carbonariorum, Saltmârshiorum, Haggardianorum, Anglicè, Buzzards. &c.

Non eſt in tali Turbine mica Salis. Nilus procul abeſt à nobis, ſed hoc genus Crocodilis plena ſunt omnia.

—— Velut agmine facto
Qua data Porta ruunt, & terras Turbine perflant. Prodiit in hac decrepita mundi ſenectute nova hæc & inuſtea viperarũ progenies, δοξομανία laborantes; qui ſub prætextu eximiæ pietatis, ſubverſum eũt Academias, Scripturas, Sacramenta, cælum, infernum, omnia idque Giganteâ pluſquam audaciâ, & impudentiâ meretriciâ. Quanta hinc naſcatur malorum Ilias, facile eſt conjecturam facere. Contremiſcant, & cohorreſcant cælum & terra. hæccine monſtra ferat & foveat noſtra Britannia? hi flores, hi fructus, tantæ clementiæ, tantarum Palmarum: Sic rependimus Jehovæ populus ſtultus & inſipiens? [Deut. 32:6.] fuit florentiſſima in

hac

docent: teſtaten habent. I. venant. Prodeſſet do non p ſint, (1) neq quam p ſint. Piſ. neceſſe e ut oves pereant, ſi paſtores in lupos, mulos, aſinos trãſformentur. Iliacos intra muros peccatur, & extra. Hor. Virg. Æneid. I.

Concurritur paſſim in clero, ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & in doctis ad Eccleſiaſticas curas, tanquam ſine curis jam quiſque victurus ſit, cũ ad curas pervenerit. Bernard.

In Eccleſiis Belgicis ubi Libertas

Digitized by Google

hac Plaga, Ecclesia; celeberrimum fuit Ministerium.

——— Fuimus Troes, fuit Ilium & ingens
Gloria Teucrorum. ———

Imò & adhuc restat, etsi obnubilatum, conculcatum, contemptum. Animo itaque præsenti simus, hoc enim Christi Ministerium, quantumvis nunc humile & abjectum; illustri tamen gloriâ tandem fulgebit. Sed ad rem. Qui onus Ministerii probè nôrunt, extruduntur ad hoc opus [Matth. 9, 36.] non injussi currunt. Constat omnibus, Mosen, Jeremiam. &c. reluctantes quodammodo ad hoc pertractos; quod & aliis evenit, cùm opus tale exerceant, quod propter labores continuos, gravia pericula, & odium implacabile, carni valdè molestum & ingratum est. Proinde mittitur à Deo Moses. Exod. 3, 10. separatus est Aaron, ut ministraret in sancto. 1. Chron. 23, 13. Heb. 5, 4. Num. 3, 6. 10. Vocabantur Prophetæ, Electi sunt Apostoli [Joh. 6, 70. & 20, 21. Act. 1, 2. 24.] mittuntur denique omnes Ministri. Rom. 10, 15. quomodo enim prædicabunt, nisi missi fuerint? q.d. nullo modo possunt. Licèt enim de facto constat eos prædicare; hoc tamen Jure, Authoritativè, & bonâ conscientiâ facere non possunt absque missione. nemo enim

prophetādi facit ut impunè sit seductoribus ne dicam furiis quibusdam infernalibus pro fanas novitates profiteri, quanta Sectarum portenta nata sunt &c. In de orti Socinii, Vorstii, Arminii, & reliqui Ecclesiarum incendiarii &c. D. Rob. Abbot. Epist. Dedicat contra Thōbsovv. cui suffrag. D. Ward in suffr. Britan. p. 243.

enim publicum Ministerii officium exercere potest, nisi dicere cum Paulo possit, se factum esse Ministrum Evangelii. Vocatio itâq; expectanda est, ne in nos torqueatur illud Jeremiæ. 23, 21. non mittebam hos, & ipsi currebant. Patet hoc à Praxi tum Veteris, tum Novi Testamenti, ubi Vocatio & Missio ad amussim observata fuerit. Aureo itáq; asterisco dignum est illud Lutheri. Expecta vocantem (inquit ille) interim esto securus; imò si esses sapientior ipso Salomone & Daniele, tamen nisi voceris, plus quàm infernum fuge, ne verbum effundas. Si tui eguerit, vocabit te. Si non vocabit, non te rumpat scientia tua. &c. nunquam enim Deus fortunat laborem eorum qui non sunt vocati, & quanquam quædam salutaria afferant, tamen nihil ædificant. E regione, magna semper fecerunt, qui Deo vocante docuerunt. Hæc ille.

Luther. Loci com. clas. 4. p. 21. &c.

Facessant ergo ἄτοποι Anabaptistæ, qui quosvis * αὐθαιρέτους, cujuscunq; sint sortis, absq; ullo legitimæ vocationis Testimonio promiscuè docere posse statuunt; & hoc modo barbaricam quandam ἀταξίαν in Ecclesiam introduxerāt. Confusionem hanc detestatur Deus, ideóq; de talibus quàm sæpissimè conqueritur. Jer.

* Seipsos eligentes.

Cur te ipsū facis Pastorem cum sis ovis? cur caput esse cōtendis, cum pes existas? cur exercitū ducere quęris, cum inter milites adhuc censearis? Nazianz. Orat. 21.

F 14, 14.

14,14.& 23,21.32.& 27,15.& Christus reprehendit Angelum Thyatirensem, quòd permitteret & toleraret Seductricem & Pseudo-prophetissam Jesabel, quæ non reverà fuit, sed *vocat Se* Prophetissam, [Apocal. 2,20.] docere & seducere plurimos. Hos Deus diris punivit suppliciis, teste Uzzâ. 2. Sam. 6,6.7. Teste Uzziâ Rege, 2. Chron. 26,16.20. Testibus Corâ, Dathan & Abiram. Num. 16,39.40. summum Sacerdotium affectantibus, & terræ hiatu ob id absorptis. Sed quoniam de his alibi fusiùs disserui, hîc figam baculum. |

Si non bonam rationem reddit qui nō quæsivit errantem, qualē reddet qui fecit errantem. August.

V. Plenius, Ius Divinū Ministerii Evangel. c. 4. p. 66. &c. ☞

V. Pulpit-Guauded.

4. Confect.

4. Hinc elicitur Quartum Consectarium. Dato enim Ministerio, dantur & *Academiæ*; dato fine, dantur & Media ad illum finem conducentia. Necesse enim est, ut qui ad S. Ministerium promovēdi sunt, hi priùs in Scholis sint informandi ac instituendi, quæ sunt Ecclesiæ seminaria. Sicut hortus optimè licèt cultus & feracissimis arboribus uberrimè consitus perennitatem obtinere nequit, nisi in Seminariis tenellæ educentur ac formentur arbores, quæ in locum marcidarum ac emortuarum succedant: sic S. Ministerium diu conservari nequit incolume, nisi in Scholis formentur & educentur, qui aliis in officio succedant. Non enim dantur

dona

Digitized by Google

donà nunc dierum miraculosè & immediatè; inspiratione & revelatione; absque labore & mediis: sed dantur mediatè, vid. Meditatione, Lectione, studio & sudore. 1. Timoth. 4, 13. 15. Hinc pii Principes Scholas & Academias condiderunt & conservârunt, ut in illis Neophyti & Tirunculi Pietate & bonis imbuerentur literis; tum ad puritatem doctrinæ conservandum, tum ad Hæreticos debellandum. Summa itáq; sit Academiarum & Scholarum cura, eorum proventus & Privilegia sanctissimè conserventur, ut Ecclesiæ nostræ splendor & gloria in æternum maneat ac splendescat.

Vel ipsi Philistæi non nocebant Collegio Prophetarum quod erat Gabæ, ut videre est 1. Sam. 10, 5. 10. & sic ad aliud Collegium tanquam ab omni armorum injuriâ sepositū, confugit David. 1. Sam. 19, 18. Grotius.

Facessant ergo Familistæ, Anabaptistæ &c. qui contra literas & literatos sic deblaterant. Ad Ministerium inepti sunt qui Scholis docentur; Imò in Academiis ne tantilla quidem Christi cognitio: Seminaria sunt nequitiæ, Reip. pestes. &c. Heu cæcitatem plusquam Ægyptiacam! Heu tenebras palpabiles! Heu homines perfrictæ frontis! qui veterem vatis non vani revocârunt querelam.

—Fugere pudor, verúmq;, fidésq;,
In quorū subiere locum fraudésq; doliq;,
Insidiæq; & vis, & amor sceleratus habendi.

Ovid. Metam. l. 1.

Hi Papæ Paulo ſecundo non abſimiles; Qui Humanitatis ſtudia ita oderat, ut ejus ſtudioſos uno nomine Hæreticos appellaret. ideò Romanos adhortabatur, ne filios ſuos in ſtudiis literarum verſari paterentur: ſatis eſſe ſi Legere & Scribere didiciſſent: imò Hæreticos eos pronuntiabat qui nomen Academiæ vel ſeriò, vel joco commemorarent. Heu! quàm diſpar eſt Papa Paulus, Apoſtolo Paulo! qui enutritus fuit ad pedes docti Gamalielis, & inſtitutus ad exquiſitam legis formam.

V. Platinam in vita Pauli ſecundi mihi. p. 787.

Quod ſi vitiorum ſemina in his Seminariis reviviſcerent; defæcantur, non diruantur; tollatur eorum abuſus, maneat tamen uſus. Sed hîc vela contrahenda ſunt, quia & hæc * alibi fuſiùs tractavi; eò brevitatis cauſa vos mitto.

* V. Vindiciæ literarū.

5. Conſectarium.

5. Poſtremò, Patet hinc, Sanum & ſapidum eſſe illud Miniſterium, quod auditorum conſcientias movet & mordet. Miſſa eſt edentula & nunquam mordet; at Salis natura eſt mordax & acris. Nihil peccatorem æquè mordet moleſtátque ac libera & ſincera verbi prædicatio; adeò ut ſalſi & ſapidi Paſtores totius mundi odia & opprobria ſibi concilient. Hinc Chriſtum & Apoſtolos CHRISTI, odio per-

Quid aliud eſt Prędicare niſi toti' mundi odia in ſe derivare? Luther.

persequebatur mundus, utpote sui sceleris reprehensores & correctores. Joh. 7, 7.& 15. 19. proinde Evangelium propter suam acrimoniam putrescenti mundo fuit semper in risum; quippe carnis mortificationem, sui ipsius abnegationem, & sexcenta alia carni parùm grata, exigit. curant tamen & sanant hæc amara, quamvis sensum exasperent: malint veruntamen quamplurimi in erroribus & peccatis omninò putrescere (quæ est nostra mollities) ut pereant, quàm propter ea ἀποτόμως increpari ut salventur. at hoc luculentissimum est viri mali & vitiis vulnerati indicium, cum salem sanæ reprehensionis non patiatur. Teste Ahab. 1.Reg.18,14. testibus Galatis [4. 16.] teste Amazia. Amos. 7, 10. Minum itáque non est, si fœtidas & rancidas habent animas, luxu & libidine vel ipsis hominibus, exosas, qui ab hoc condimento sese subducunt & separant.

Vbi hoc sal, ibi sapientia, ibi puritas, ibi veritas, ibi compunctio, ibi sanitas. At molles & carnales oleo blandi loquentię perfundi malunt, quàm sal perfricari; hinc putrescunt & pereunt. à Lap. in Lam. 2,14.

Ad nos quod attinet, succumbendum non est, sed alacri pergamus animo, gratias Deo agentes quòd digni sumus quos mundus oderit: veræ enim virtutis est indicium à mundo odio haberi; quod si hoc sit vile, insanum sanare mundum salo & sancto DEI verbo, viliores erimus. Sanam itáque

diligamus doctrinam, licèt enim acrimoniam habeat, & carni sit molesta, summam tamen adfert utilitatem. Ut terram vomere proscindimus, sic si vomer Evangelii ad intestina nostra pertingat, tamē cùm urticæ & cardui hoc modo radicitùs evellantur, non ægrè feramus. Christi sponsa est columba. Cant. 5, 2. columbæ verò mirum in modum diligunt salem: ad Ecclesiam itaque ubi hoc Sal cæleste apponitur, fugiamus, tanquam columbæ ad fenestras suas. Isa. 60, 8.

---

## Cap. VII.

Corollarium 3.

3. Ad παράκλησιν & consolationem. Salsos & synceros verbi Ministros pro viribus prosequitur & proscindit Satan; nec immeritò, quippe quòd illius regnum radicitùs evellant, & penitùs evertant. Luc. 10, 18. Hos itaque potissimùm oppugnat, * contumeliis, insidiis, sannis, persequutione, proditione, gladio, exilio, igne, fame, morte. Antesignanos suos hortatur Satan, uti olim Aram Syriæ Rex præcepit suis, 1. Reg. 22, 31. ne pugnate contra parvum aut magnum, sed contra Regem Israelis. Victo enim rege, fugiunt milites, percusso pastore dispergunutur oves. Nec meliorem somniemus fortunam, quam vel

V. Pemble. in 1. Cor. 15, 19. f. p. 478.
☞ Bovvles, Pastor. Evang. l. 3. c. 11, 12. Hildersh. in Joh. 4. Lect. 81. p. 376. & Lect. 61. p. 283.

vel Apostoli & ipse Christus in suo Ministerio experti fuerint. Apostoli habentur mundi *περικαθάρματα, [1. Cor. 4, 12. 13.] vilissimæ fæces, sordes abjectissimæ, hominum consortio indignissimi, mundo ejiciendi & exterminandi, ut ab omnibus conculcentur. Ita Paulus fit σπερμολόγος. Act. 17, 18. λοιμὸς, ipsissima Pestis. Act. 24, 5. & vitâ indignus. Act. 22, 22. Imò Christus ipse * sannis passim excipitur, flagellis verberatur, lapidibus petitur, summâ denique ignominiâ morte mulctatur. Has verò molestias patienter feramus, spe lætitiæ successuræ. Subsannent Epicurei, insultent protervi, fremat mundus, frendat Satan; Christus tamen stellas suas non in sinistra, sed in dextra tenet; has præ cæteris omnibus fovebit, conservabit, proteget. Ille enim non solùm est Ministerii author, sed & Protector, promisitque ei peculiarem tutelam, & laboribus successum. Luc. 21, 15. Jer. 15, 20. Hoc adumbrat nobis *Dextra*, est enim amoris Symbolum, proinde Jacob vocat dilectum suum filium, *Benjamin*, (1) filium dexteræ; quia æquè charus ac dilectus fuit ei, ac homini est dextera. Gen. 35, 18. deinde Protectionis & summæ curæ, ut videre est. Psalm. 17, 7. & 80, 17.

* fæx, scoria, vel sordes quæ ex lurida re quapiam repurgantur. Beza in locum, ubi plura.

* Mar. 3, 21. Joh. 8, 48. 52. Luc. 23, 11. Heb. 12. 2. 3.

Dextra, virtuti, fidei, auxilio, & omnibus rebus auspicatoris cōsecratur. V. Moller. in Ps. 17. 7. V. Plenius Ravenel. in verbo Dextera. & Glassii Philolog. P. 2. l. 1. c. 7. p. 1126.

Ministerii Evangelici sunt Legati Dei,

Legatos



Digitized by Google

violare, contra jus Gentium est.

Dei, Legati verò jure Gentiûm sunt inviolabiles; unde graviter animadverti solet in eos, qui Regum Legatos injuriâ afficiunt. Si David ultus est injuriam Legatis suis illatam ab Ammonitis, in abradendis eorum barbis, & decurtandis vestibus; [2. Sam. 10, 45.] quantò magis Christus vindicabit Legatos & Ministros suos, siquid injuriosè aut contumeliosè adversus illos ab Ammonitis nostris perpetretur. Qui maledixerit Patri suo moriendo morietur. Levit. 20, 9. at Ministri Christi parentum loco sunt habendi, quia per Evangelium homines regenerant; & servant non tantùm corpus, sed ut Emphaticè loquitur Apostolus, servant *Animam* à morte æterna. Jac. 5, 20. Proinde Deus injurias Legatis suis illatas severissimè vindicavit. Perfregit ille Potestates illas * Prælaticas, unà cum ¶ Parliamento isto Anabaptistico, quæ bellum ministris suis indixere. Illorum gratiâ; Reges redarguit, edicens illis, *Nolite Prophetas meos malo afficere*, *Psa.* 105, 14. 15. Transfigit eorum lumbos qui insurgunt in eos Deut. 33, 10. ut patet exemplo Pashuris. Jer. 20, 23. & puerorum illudentium Elizæum. 2. Reg. 2, 23. 24. Saulis qui complures sacerdotes Dei interemerat, is quoque in monte Gilboa miserrimè occubuit. Corah, Dathan, & Abiram luunt

* Bellum Scoticum, fuit bellum Episcopale.
¶ Decemb. 12. 1653. A parte prædominante fit denominatio.

luunt pœnas conſpirationis contra Moſen & Aaron. Jeraboami manus quam in virum DEI extendit, ſtatim exaruit. 1. Reg. 13, 4. Aſa, Hanani Prophetam incarcerat, & à DEO podagrâ affligitur. 2. Chron. 16, 12. Zacharias ſacerdos, mandato Joash, lapidibus obruitur; & à ſervis ſuis ille interficitur. 2. Paralip. 24, 21. 25. Elymas reſiſtit Paulo, & cæcitate percutitur. Act. 13, 7. &c. Videmus Judæos qui Chriſtum occiderint, & Apoſtolos ejus malè acceperint, in exitium præcipitatos. Quod ſi Deus non pepercerit Jeruſalem, propter violentiam Prophetis ſuis illatam. [2. Chron. 36, 15. 16. 17. & 2. Chron. 16, 10. 12. & 2, 24. 21. 25. & 2, 26. 19. 20.] nec parcet oſoribus non ſolùm Miniſtrorum ſuorum, ſed & ipſius Miniſterii: Parium enim cauſarum, paria ſunt effecta; & Deus ſibi ſemper eſt ſimilis. Imò ſi vel morte plecterentur, qui per ſuperbiam auſcultare ſacerdotibus ex lege ſententiã pronuntiantibus, renuebant [Deut. 17, 9. ad 14. & 18, 19.] quanto ſupplicio afficiẽtur, qui Miniſtros Chriſti vilipendunt? Tales vitilitigatores cum ſacerdotibus Dei meritò damnantur, iisque comparantur qui graviſſimè peccant. Hoſ. 4, 4. & juſtè pereunt v. 5. ita Jerem. 20, 11. & 1. Theſ. 2, 16. Quiſquis itaque ſacrum hoc Miniſterium, vel reſpuit vel aſpernatur,

ſciat ſe non in Miniſtros ſolùm, ſed & in Chriſtum, injuriũ & rebellem eſſe; quòd enim Miniſtros habemus eſt ejus donum; quòd claris ornantur donis, eſt ejus donum; quod denique munus ſuum fideliter exequuntur, ab eo totum eſt. Contemptus itaque Legatorum Chriſti in ipſum redundat; ut Proregis dedecus redundat in regem; qui ſpernit illos, ſpernit Chriſtum. Luc. 10, 16. Iſa. 7, 13. Act. 7. 52. Nulla itaque vis, nullæ injuriæ, inſidiæ nullæ animum enervant noſtrum, Chriſtus enim nobiſcum erit virtute & Spiritu ſuo, non paucis diebus, ſed omnibus. [* Matth. 28, 20.] priùs mundus hic deſinet, quàm Chriſti nobiſcum deſinet præſentia: ille erit nobiſcum in periculis protector, in tentationibus conſolator, in laboribus adjutor, in dubiis director in difficilibus œdipus. forti itaque ſimus animo, alacriterque munus hoc Miniſterii obeamus: propter infirmitates noſtras ne trepidemus, ſed in poteſtate Chriſti confidamus. Ille in hoc opere nos non derelinquet, non ad hoc ut nihil patiamur; ſed quod multò majus eſt, præſtiturus, ut nulla ſævientium crudelitate ſuperemur, Deo enim præſente, auxiliante, defendente; quis nocebit, impediet, opprimet? Omnia nobis, ſtupendâ Dei Sapientiâ, cooperabuntur in bonum. Ille

Loquitur de ſpirituali præſentia, gratiâ & auxilio, ad cõſolandũ Apoſtolos & omnes Eccleſiæ paſtores, qui indignitatẽ & infirmitatem ſuam ſentiunt, & quos Satan miris inſultibus adoritur; q. d. Vocatio veſtra difficilis & periculoſa eſt, at ego vobiſcum ero, ut hæc omnia ſuperetis. Sharpius.

Ille ex his viperis Theriacum, ex his ſpinis roſam, & ex hoc felle mel, dilectis ſuis pariet Legatis. Acuant itaque fanatici gladios, diſtringant romphæas, proferant ſcloppetos, horum tamen finis interitus: conſocientur & conterentur, accingantur & conterentur; ineant conſilium, & fiet irritum; loquantur verbum, at non exiſtet, quia nobiſcum Deus. Iſa. 8, 9. 10. Emmanuel eſt dux noſter, Protector Emmanuel; omnes fines terræ reſpiciant, non ad montes, nec ad maria, ſed ad eum & ſerventur. Scribant adverſarii noſtri vel totos libros, intùs & à tergo, contumeliis & ſannis refertos, erunt nobis coronæ. Mihi maximè proſunt (inquit Lutherus) qui mei peſſimè meminerunt, Lutherus paſcitur convitiis. Proinde Philippus Macedonum Rex, oratoribus Athenienſium * gratiam ajebat ſe habere, quòd crebris convitiis meliorem ſe redderent; nam conari ſe cùm verbis tum factis ſuis eos mendacii convincere.

Jaſonis hoſtis gladio aperuit vomicam, quã medici nullâ arte curare potuerant: proinde grunnitu porcorum, & canum latratus ſuſque deque habeas. Nec te labor terreat, reique difficultas, facilè opus expletur, in quo Christus author, adjutor, operator erit. Vbi autem ille adjutor erit, ſi in ſponſæ ſuæ negotio non fuerit? Clemangiis

* χάριν ἔχω τοῖς λοιδοροῦσί με, ὅτι βελτίονα ποιοῦσιν Plut.

Ad ſummam, contra mundi ingratitudinem noſmet ipſos conſolemur, promiſſiones Dei revolvendo. Utut enim homines temporalibus hiſce præmiis nos defrau-

Mala opinio benè parta delectat. Sen.

Delectet mentem magnitudo præmiorum, ſed non deterreat certamen laborum, q. ad magna præmia perveniri non poteſt, niſi per magnos labores, nec coronabitur niſi qui vicerit, nec vincit niſi certaverit, nec certabit niſi inimicum habeat. Anshelm.

F

defraudent; promisit tamen Deus pastoribus fidelibus, Æterna. Vera enim merces Ministrorum non est in hoc mundo, sed post hanc vitam reposita in cælis. vid. coronâ illa vitæ ac felicitatis æternæ, in qua ipsi eminentiori modo præ aliis excellent. * Dan. 12, 3. Prov. 11, 30. Matth. 5, 12. & 24, 45. 46. 47. & 25, 21. 22. 1. Cor. 3, 8. 14. & 4, 5. & 15, 41. Joh. 4, 36. 1. Pet. 5, 4. Hanc coronam Paulus semper gestavit in oculis. 2. Timoth. 48. Rom. 8, 18. Pascentes pro tempore, in æternum coronabimur; opus habebit finem; merces nullam. Benè agente populo unusquisque pro suis operibus mercedem accipiet, sacerdos autem pro bonis omnium; habebit enim pro propriis lauream, pro acquisitione aliorum Laureolam. ut acutè Chrysostomus.

* Erunt ut stellæ, non est Hyperbolica locutio, nam major erit fidelium Pastorum splendor, quàm Stellarum omnium.

Natura humana sicut duris laboribꝰ instrui tur, ita per otia fatuatur. Cassiodor.

Deinde, vel in hâc vita hoc tibi dabitur Præmium.

Cõscientiæ gaudium facilè vinci t mortis dolores. Philip. 2, 17. fidelis Pastor sentit in se gaudiũ quo majus ex functione ullâ aliâ etiam fidelissimè obita, esse non potest. Roll.

1. Donorum augmentum. juxta illud Christi: habenti dabitur. Matth. 13, 12.

2. Bonæ conscientiæ epulum illud, quod in omni sorte comitatur eum qui nil nisi gloriam Dei, & auditorum salutem spectant. Act. 23, 1. & 24, 16. 2. Cor. 1, 12, & 6, 10. semper gaudentes, quippe à Domino jugiter refocillantur, & intùs exhilarantur.

3. Auxilium Dei, quos vocat Deus ad hoc

hoc officium, illos custodiet & adjuvabit, vires illis suppeditando ut ritè officium peragant. Isa. 42, 6. ego vocavi te, proinde manu tuâ te tenebo, ut Pater filium; & custodiam te, (1) me habebis tutorem & vindicem, nec non *Auxilium* in omnibus præsentissimum. Psa. 132, 16.

Legitima fuit Christi vocatio, ideoque stabilis & firma: Scimus enim ea quæ ritè & ordine non fiūt, diuturna esse non posse. Calv.

4. Corollarium quartum. Mutuam inter nos foveamus *Pacem* & concordiā. Quæ Deus conjunxit, nemo separet: at Sal cum Pace conjunxit Deus. Marc. 9, 50. Habete in vobis *Salem*, & *Pacem* habete inter vos. Quia Sal acrimoniâ suâ mordet, ideò statim subjunxit Salvator, sic temperandam esse condituram, ut pax interim salva maneat. Amor proximi Sal correctionis temperet, & dilectionem Sal justitiæ cōservet. ita erimus insuperabiles, cùm erimus inseparabiles, aliosque ad Christum lucrabimur: Sicut faces accensæ si separantur, fumum emittunt; si uniantur, flammam excitant. Sal sine Pace non esse virtutis donum sed damnationis argumentum, dixit Beda. Omnis enim Sapientia insulsa & insana est, nisi pace & charitate condiatur & temperetur. Ut cib9 absq; Sale est insipidus; ita nullus cultus, nulla Sacrificia placent Deo, quæ ab animo insulso (1) irâ, invidiâ, simultatibus & rixis suffarcinato, proveniunt. Excidit

Julianus Apostata scripsit, Christianam religionem tam latè esse propagātam, propter Christianorum erga Paganos beneficentiā, misericordiam, & mansuetudinem. Ramus.

nobis

nobis ex animo, quam plurimos esse inter nos Chananæos & Perizæos, qui rixis nostris scandalizentur, & ab iis ansam nos opprimendi & devorandi quærunt. Unanimi itaque concordiâ in unum coalescamus; quid enim magis incongruum, quàm pacis præcones discordiâ & litigio dilacerari hâc præcipuè tempestate, quâ in insidiis hostes sunt, non lite spargendæ vires, sed pace refovendæ: Petendum ac hauriendum hostium latus, non mutua jugula? Nimis enim insanit, qui corruente Ecclesiâ, privatam sibi pollicetur salutem. Celeberrimum fuit illud Myconii elogium, & æmulatione dignissimum, vixit cũ collegis (inquit Mel. Adamus) annos viginti duos in summa pace & concordiâ. Cucurrimus (inquit ipse Myconius) certavimus, laboravimus, pugnavimus, vicimus & viximus semper conjunctissimè; ut admiratione afficerentur plurimi, super illâ rarâ fratrum συμβιϐαστικῶν φιλαδελφίᾳ & conjunctione. O si talis charitatis & concordiæ ignis pectoribus nostris accenderetur! adeò ut encomium illud Ecclesiæ Primitivæ peculiare, nobis esset commune, *Ecce quàm se mutuo diligant, ut alter pro altero mori sint parati!* tunc temporis, erat cor unũ, & anima una, non *Physicè*, quia quisque habebat suum cor, & suam animam; sed

*mora-*

*moraliter*, q. d. ita animis & moribus erant concordes, ac si omnes unum idemque habuissent cor, & unam animam. Act. 4, 32. Insignis sanè virtus, cum omnia studia, consilia, conatus, conformes & consentientes fuerint. Proinde memorandum est illud * concionatoris clarissimi optatum, & tanto viro dignissimum. Humilis sim potiùs, & in luto conculcatus, vigeat modò fraterna concordia, quàm, in currru Triumphali, sublimis ex Cadmea victoria: affectent alii magnificum sonum titulumque Ptolomæi, sed placeat mihi jucunda res & nomen Irenæi, &c. Spectat hoc ad omnes, primariò verò ad pastores Ecclesiæ; misit nos Deus, ad prędicandum, non præliandum; astruere, non destruere; operari non altercari. Structorum harmonia promovet structuram. Neh. 4, 16. templum Salomonis ædificabatur sine strepitu. 1. Reg. 6, 7. non sine mysterio utilissimo obumbrans, in Ecclesia strepitus contentionum, aut schismatum non audiri. Malevolorum itaque acerbitatem & malitiam probè ulciscemur, nempe oblivione, & studio virtutis acriori: Certet nostra fides & candor cum eorum susurris & insidiis, quos præterire quàm refellere, & silentio obruere quàm meminisse præstat.

D. Stoughton. Felicitas Vlt. Sæculi. p. 45.

V. Plenius, Bovvles Past Evang. l. 1. c. 4. p. 31.

Nec

Non habent Dei charitatem, qui Ecclesiæ non diligunt unitatem. Aug.

Nec desunt Motiva. 1. Deus noster est pacis Deus. Rom.15,33. 2. Cor.13, 11. 2. Christus est princeps pacis. Isa. 9. 6. Eph.2,14. 3. filii Dei sunt filii pacis. Luc. 10,6. 4. Evangelium quod annuntiamus, est pacis Evangelium. Ephes. 6, 15. Denique vocati sumus ad pacem. 1. Cor. 7, 15. pacem itaque διώκετε, (1). summâ vehementiâ & ardore persequimini, vel fugientem à vobis instar leporis insequamini, & comprehendatis. Psalm. 34,15. Heb.12,14. pacem & veritatem. Zach. 8, 19. aliter, melius est dissidium pietatis ergò, quàm vitiosa concordia. Si verò fieri potest, quantum in nobis est, cum omnibus hominibus in pace vivamus. Rom.12, 18. quia sumus unum corpus, ab uno regimur spiritu, unam habemus spem, unum Dominum, unam fidem, baptisma unum. Ephes. 4, 2. ad 7. deinde, hoc est 1. Justum, 2. Honestum, 3. bonum, 4. amænum; ut nervosè, solidè, sanctè quam plurimis evincit argumentis clarissimus ille Sibelius. è Psalm. 133, 1. &c.

Consule Sibelij Tom. 1 p. 576. &c. Burrogghr. Iren. chap. 31 32. 33. &c.

☞ M. Baxter. Saint. Rest. l. 3. c. 14. Sect. 10. Mantons Ser. on Zach. 14, 9. p. 38. &c. Hildersham on Joh. 4, 38. Lect. 64. p. 299. &c.

## Cap. VIII.

Consectar. 5

5. Ad ἐπανόρθωσιν, & reprehensionem Anabaptistarum, Parilistarum, &c. qui

Digitized by Google

qui Stipendia Ministris Christi, tum jure diviño, tum jure humano, tam foro Poli, quàm foro Soli, debita, funditùs eversa cupiunt. Dato verò Ministerio, dantur necessariò Stipendia quibus sustentetur, hoc adeò in propatulo est, ut res demonstratione vix indigeat. Quis enim militat propriis Stipendiis? vel ipsa lex naturæ dictat, Operarium dignum esse mercede suâ. Proinde Moses, Levitis mandato divino addixit decimas, Primitias fructuum, optimas Sacrificiorum partes, pensionem sicli annuam, pecuniam ex redemptione primogenitorum, votorum. &c. ut patet. Exod. 34, 26. Levit. 27, 3. &c. Num. 18, 8. &c. Joseph Ægypti Prorex, cum in dira totius regionis fame totam terram Pharaoni emeret; terram tamen Sacerdotum non emit, quin potiùs statutum ac demensum illis ex publicis granariis fuit datum. Gen. 47, 22. unde constat, Pharaoni licèt Idololatræ, singulare tamen fuisse studium divini cultûs, dũ Sacerdotes gratis abluit, ut eorum agris & facultatibus parceret. Quod si verò adeò solicitus fuerit Pharaoh de suis Sacrificulis, ut in suum & totius regni exitium aleret, ne erga fictitios Deos esset impius & ingratus: quanta ingratitudo, & quantum Sacrilegium est, à Christianis Principibus negligi legitimos Christi Ministros, quorum operam Deo

probari, sibiq; salvificam esse nôrût? Hinc nutritius ille Sacerdotum Rex, Hezekias, non ipse solùm dabat propriæ substantiæ partem, sed etiam præcepit populo habitanti in Jerusalem, ut Sacerdotes alerent, quò possent vacare legi Domini, & ab alimentorum curis liberati, toti invigilarent suo officio & Templi Ministerio. 2. Paral. 31, 3. 4. 11. &c.

Ideò Regis oratio magnum pondus habuit, quia & ipse magnas opes ad conservationē cultus Dei contulerat. Lavater.

Laudanda & imitanda est hæc gratitudo & obedientia populi ergà Deum & regem; libenter & liberaliter dant Sacerdotibus quæ eis debebantur; non fraudant Ministros, aut eis invident. Idem.

Nec minima fuit Alexandri laus, quòd literaturam & literatos summo complectebatur honore, summo amore: hinc ætas Alexandri multas produxit artes, multa polita ingenia; quia Rex ipse optimè judicare potuit, & ingeniosos liberalissimè compensare novit: unde protritum illud, si tu Alexandri ætate vixisses, is tibi pro quovis versu Cyprum aut Phœnicen dedisset. Nam ut frugum copiam bona temperies ac tenuitas aëris gignit; ita artium & bonorum ingeniorum incrementa, benignitas, honor, & humanitas Regum & Proregum efficit. Vice versâ, Principum invidia, ignorantia, sordes, omnia hæc extinguit ac perdit. Proinde expostulat & contendit usq; ad rixam & ravim, Nehemia, [13, 10. 11.] vel cum gubernatoribus

ipsis

ipsis, quippe Levitis decimas eis debitas, non dederant.

1. Caveant itaq; Christiani Magistratus, ne ministri Ecclesiæ (qui artes nesciunt manuales) cum fame ac indigentiâ colluctentur, & hâc ratione ab officio sedulò exequendo, ad curam victûs & amictûs sese convertant. Nôrunt enim omnes Ministerium S. munus esse valdè laboriosum, vel humeris Angelicis formidandum, quod totum occupet hominem; nec vacat ei alia artificia unde alimentum capiat, exercere quapropter, nisi à gregibus suis victum accipiant Pastores, necesse est ut fame pereant.

2. Caveant itidem ne Stipendia à piis Majoribus Deo data, diminuant, vel diminui ac inverti & everti patiantur. Deus enim horum omnium vindex, & famem Ministrorum, sequi solet fames verbi apud ingratum mundum. Constantinum itaq; imitentur Magnum, qui prospexit, ut Clerus liberalia & honorifica stipendia perciperent, eáq; lege firmavit. ut videre est. Euseb. l. 2. de vita Const. c. 21, 36. 39. & Sozomen. Hist. Eccles. l. 1. c. 8. & l. 2. c. 4.

Quamplurimi Patroni sunt Latrones; manus habent ablativas; nō dativas.

3. Caveant deniq; ne Complanatores (liceat demonstris, monstroso uti verbo) complanent etiam Remp. & vertant eam in Rem-privatam. Mose enim spreto, insurgit seditio. Num. 16. Imò vel hoc no-

G 2 mine

mine inclamant adversus Pastores fidos perfidi Anabaptistæ, quia sunt columnæ Magistratus.

Verùm ut hæc enucleatiùs tractentur, Thesin hanc discutiam.

Thesis discutienda.

*Debentur Verbi Ministris, ab iis quos Sacrâ doctrinâ imbuunt & instituunt, certa & fixa Stipendia Iure divino; ut liceat ipsis à mundanis curis vacare, & totos se operi Ministerii consecrare, & in eo esse.*

Affirmant nobiscum omnes Ecclesiæ Dei. Negant, Recentiores nonnulli Tenebriones Anabaptistici. Sed ut hæc clariùs elucescant. 1. Thesin ipsam S. Scripturæ Testimoniis corroborabo.

2. Theseos veritatem Argumentis evincam.

3. Adversantium Sophismata quàm brevissimè diluam.

Probatur 1. ab expresso Christi effato. Matth. 10, 10. Luc. 10, 7. dignus est operarius alimento & mercede suâ. Non deerit nobis alimentum, nititur enim hoc promissum justitiâ Dei, quæ fallere non potest; tanti est vocatione suâ defungi. q. d. Auditores, jure debent eos qui sibi Evangelium prædicant, sustentare & alere. Hoc denotatur in verbo Dignitatis; nempè justum & æquum esse, ut illis qui in verbo laborant, persolvantur stipendia. At alimenti

Μισθὸς, merces, (1) constitutum præmium. Quare non charitatis intuitu (ut pauperibus eleemosynę porrigũtur) sed justitiæ causâ illis merces tribuitur. D. Gifford.

gmenti vox admonet nos de *αὐταρκείᾳ*, ne invigilemus opibus congerendis; sed habentes victum & amictum illis simus contenti. Stipendia itaque nostra sunt, *merces*, non *Eleemosyna*. Væ talibus Ministris qui subsidium à solâ populi *benevolentiâ* expectant! Talis benevolentia, erit Malevolentia; tale alimonium, erit parcimonia; hoc aliquid, brevi nihil erit. Proinde Paulus Pastorum stipendium vocat, Debitum. Rom. 15, 27. Potestatem accipiendi. 1. Cor. 9, 4. 6. 7. ac Rationem dati & accepti. Philip. 4, 15. quæ omnia cum pura-puta Eleemosyna è Diametro pugnant. Nam Eleemosyna (ut rectè Estius) posita est in misericordia quæ fit intuitu paupertatis ejus cui impenditur, sine obligatione ad opus aut officium aliquod, (nisi quod lege naturæ pauper Eleemosynam accipiens gratus esse debet, ac Deum precari pro eo qui largitus est.) At ea quæ dantur Ecclesiæ Ministris, nec propriè dantur paupertatis intuitu, nec si quando paupertatis aliquis habeatur respectus, ideò solùm & purè præstantur, sed ratione Sacri Ministerii, operis atq; officii quod ab illis præstatur. Unde nemo dixerit puram se eleemosynam accepisse, cui quid datum fuerit cum obligatione alicujus operis; præsertim si opus illud multò plus valeat quàm id quod datum est. &c. cui

Quod si Pastores sustẽtandi essent de contributione populi, miserè profectò ac duriter viverent. Luther.

Estius in Sentent. l. 4. in distinct. 25. §. 12. p. 54.



Digitized by Google

ſuffragatur Auguſtinus. Non eſt *Mendicitas*, ſed *Poteſtas*, quando Miniſter Evangelii accipit ſumptus; nam ſi vigiles nocturnos qui nobis dormientibus, pro corporibus & fortunis vigilant, dignos mercede judicamus; quid non merentur animarum noſtrarum vigiles? Sic itáq; argumentor:

Quæcunq; ſunt debita, illa honeſtè petuntur & ſolvuntur;

At alimentum & Merces Miniſtris Evangelicis ſunt debita;

Ergò honeſtè petuntur à Miniſtris, & jure ſolvuntur ab auditoribus.

Lex Naturæ docet operarium mercede ſuâ dignum eſſe. Eſtius.

2. Quod lege Naturæ operariis debetur, illud ſolvendum eſt;

Sed juſta merces operariis debetur lege naturæ. Ergò,

Obj. Ab Miniſtri Evangelici non ſunt operarii, ſed otioſi & ignavi Ventres.

Sol. Ita ſanè cenſent ignavi & ignari Anabaptiſtæ. Ad liberè & audacter dicam, longè graviorem eſſe Sudorem mentis, quàm manûs. Licet enim Evangelii Præcones manu non laborant; ſi tamen muneris ſui partes diligenter & fideliter exſequantur, lectioni ſacræ aſſiduò incumbendo, pro grege fidei ſuæ commiſſo excubando & precando, ſingulos docendo, monendo, corripiẽdo, conſolando, &c. nemo eos juſtè ignaviæ inſi-

insimulare poterit. Hoc nomine vocantur Milites, Pastores, Agricolæ. &c. Quanti verò sint labores militares nemo nescit. Pastorales curas & molestias commemoravit Jacob. vid. vigilias, frigus, æstum, violentiam leonum, luporum, ac latronum. Agricolarum verò sudores & assidui labores notissimi sunt.

V. ante in Titul. Operarii

2. Argumentum alterum petitur è Gal. 6, 6. communicet qui instituitur in sermone, cum eo qui se instituit, ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς, in * omnibus bonis suis. 1. communicet (1) liberè & liberaliter, non sordidè & parcè. 2. nec in aliquibus tantùm, sed in omnibus bonis temporalibus. Sicut enim docentes communicant discentibus bona sua spiritualia, vid, doctrinam cælestem, notitiam Christi, peccatorum remissionem, Spiritûs sancti donum, conscientiæ tranquillitatem, & vitam æternam; Ita æquum est ut discentes doctoribus communicent bona sua temporalia; nempe, victum & amictum, facultates & quæ hujus vitæ necessitati inserviunt, quorum ad spiritualia bona nulla est analogia & proportio, licèt mundus hic cæcus ea maximè suspiciat, exosculetur, & cælestibus non raro præferat. Gravis & ponderosa est illa Musculi querela. Hodiè metuntur, unde nihil magnum nobis præstatur, nec vobis onerosum videri debet, si nos spiritualia vobis subministranets, vicissim carnalia recipiamus. Estius.

* 1. quævis, pro facultatum & necessitatis ratione. Beza.

Gen. 28. ult. Luc. 18, 12. Omnia quæcunq; homo possidet sub carnalibus continentur, ideoque de omnibus possessis decimæ sunt solvendæ. Aquinas 22. q. 87. Art. 2

Spiritualia quæ seminantur in comperabiliter meliora sunt carnalib9 quæ

diè ubi nullæ ſunt decimæ, nulli reditus, nulla ſtipendia à majoribus noſtris conſtituta; ſic communicant auditores cum doctoribus ſuis, ut cum ipſi vel in luxum inſumant, vel inſatiabili avaritiâ ad ſe rapiant omnia; Miniſtro Chriſti vix ad manum ſit aridus panis, quo cum ſuis famem pellat.

Ob. Hic tergiverſantur homines, alius obtendit ſibi alendam eſſe familiam, alius negat ſupereſſe ſibi unde largiatur, exclamant alii: Miniſtri ſunt avari, inſatiabiles, ſi verè Evangelici eſſent, nihil proprii tenerent, ſed nudi, nudè, nudum ſequerentur Chriſtum, &c.

Sol. Ejuſmodi ſubſannatoribus occurrit Apoſtolus. Galat. 6, 7. ne erretis, Deus non irridetur. Homines decipiatis, at hîc non cum hominibus, ſed cum Deo res eſt, qui decipi nec vult, nec poteſt.

Deus non poſtulat munus, ſed honorem, non rogat tuum, ſed ſuum, rogat decimas. Aug.

3. Duplici honore dignos judicat eos Apoſtolus, qui benè præſunt, maximè qui laborant in ſermone & doctrinâ. 1. Tim. 5, 17. Miniſtrorum ſalarium vult liberare, honeſtum & honorificum eſſe; ita ut non ſolùm ſit alimentum, ſed & ornamentum; non ſolùm ad neceſſitatem, ſed ad honorem: Nam more ſcripturæ per duplum ſignificatur multiplex, abundans & pleniore menſurâ traditum. ut patet. 2. Reg. 2, 9. petit Eliſha duplam portionem Spiritûs Eliæ. (1) magnam, vehemen-

mentem, & valdè zelosam. ita Isa, 40, 2. Jer. 17,18. Matth. 23,15. Apocal. 18,6. duplicate ei dupla secundum opera ejus. (i) pleniore mensurâ puniatur Babylon ut promeruit. Ita duplicem date honorem (i) benignè & pleniùs præstitum, quod fit stipendio hilariter solvendo, promptè alendo, ac ut par est, piè de ipso & honorificè loquendo verbo; hinc constat Ministrorum

Duplex honor *i.* victus & Reverentia. Chrysost. V Hildersh. in Joh. 4, 48 p. 360.

Salarium debere esse { Sufficiens. Honorificum. Fixum.

1. Sit sufficiens, ad necessitatibus Ministrorum Christi succurrendum. Hoc enim sacrificium Deo gratissimum, odor fragrantiæ bonæ. Phil. 4,18. accepi omnia & abundo, expletus sum. q. d. non solùm necessitatibus meis consuluistis, sed & abundantem reddidistis; non ad luxuriam & libidinem, sed ad necessitatem & usum. ideoque per Salem S. Scriptura denotat salarium & stipendium, quod ita sit necessarium ut homini Sal. inde Ezra 4, 14. ibi Salem Palatii comedere, est Salarium de Palatio regis percipere. Vel ipse Christus τὰ ὑπάρχοντα (i) facultates à mulieribus accepit. Luc. 8, 3. & marsupium habuit commune pro sumptu opportuno & moderato. Johan. 4, 8. & 12, 6.



Digitized by Google

2. Sit honorificum. Nutriunt sanè præmia magnifica virtutes, nec quisquam est qui non ad morum summa nitatur ascendere, quando irremuneratum nõ relinquitur; imò æquum est ut unicuiq; proficiat labor suus, & sicut expendendo cognoscit incommoda, ita rebus peractis consequatur commoda. Proinde jubet Deus, optima, non pessima & vilissima dari in decimas. Num. 18, 29. 30. 31.

Justis commodis consulimus, quia fructuosus debet esse labor publicus. Cassiodor.

Si Judæi triplices, quidni Christiani unas & simplices Deo dent decimas á Lap. in Deut 14, 22.

1. Ut Hospitalitate, munificentiâ, & bonis operibus suum ornent officium, 1.* Tim. 3, 2. Tit. 1, 8. sublato enim liberali stipendio, cadit liberalitas; ut deficientibus lignis extinguitur ignis. Prov. 26, 20. ita deficientibus facultatibus frigescit charitas.

* Nisi hospitalitate tũc temporis Episcopi, aliis viam monstrassent, pleriq; humanitatem, illorum exemplo neglexissent; atq; ita exanimati fuissent miseri exules. Calvin.

2. Ut tanquam summi Regis Legati vivant, non tanquam bubulci & porcuarii; ut ad dandum potiùs quàm ad accipiendum sint paratiores; beatius enim est, & per consequens honorabilius, dare quàm accipere. Act. 20, 35. At (Proh dolor!) multis in locis vix tantùm datur Ministris Christi, quantum agasonibus & porcuariis magnatum. 3. Ad emendum libros. vid. Philiosophicos, Historicos, Theologicos, Polemicos, Practicos, Criticos, &c. tota enim nostra supellex est fermè chartacea. Attendendum est nobis lectioni, at quo modo legemus sine libris? Opus est itaque 500. vel (ut censent

ſent nonnulli) 600. ad parandam Bibliothecam. Scitè & ſanè * Lesſius. Opus eſt illis magnâ eruditione, ad quam comparandam requiruntur magni ſumptus, & impediuntur aliæ rationes lucrandi, ut per mercaturam, & artes mechanicas, quas non decet ab illis factitari. De Juſtitia & Jure l. 2, c. 39.

4. Ut opus Domini alacriter ſubeant, à mundanis curis liberati; non ut otio & genio indulgeant, ſed ut gnaviter incumbant legi Dei. 2. Tim. 2, 4.

5. Si Sacerdotibus Leviticis honorificum fuit ſtipendium, tum (à fortiori) tale debetur Miniſtris Evangelicis; quippe obnoxii ſunt majoribus laboribus & diſpendiis, quàm fuit tribus Levitica. At verum eſt Antecedens, ut poſteà pleniùs patebit; Ergò Magiſtratus non ſordidè & ſerviliter, ſed honeſtè & liberaliter Miniſtros Chriſti alere ac tueri debent. V. Pleniùs, Fuller Holy State. l. 3, c. 25. ☞ Et D. Downam. Dignity & Duty of Miniſt. p. 71, 72. &c. ☞

3. Sit hoc Salarium fixum. Non ſit populi benevolentia, donum ſpontaneum, eleemoſyna, &c. Nam Honor & eleemoſyna non benè conveniunt: Sed ſit fixum, conſtans, ſtabile & legibus Politicis ratum & ſancitum. Ne mundani Labani pluſquam decies mercedem fidelis & gnavi Jacobi mutaverint. Proinde viſum eſt vel ipſis fratribus Londinenſibus, qui vulgò nuncupantur, diſſentientes, ſive independentes, providè navare apertè dicũt Labanitæ, ſubulco aut opilioni Pagos & civitates non poſſe carere: Parochos aut Ludi

operam

magiſtro nihil opus eſſe. At diſcamus has injurias & hanc invidiam æquo animo ferre, & agnoſcamus mirabilem Dei gubernationem, qui paſcit & alit nos, ſicut Jacob apud Eſau, *Servientem.* Luther.

operam, ut ſtata & rata ſint eorum ſtipendia, uſque ad valorem 100. 200. 300. &c. per annum. Teſtatur experientia, ſtipendia operariis DEI debita mundanos ægerrimè perſolvere; imò quæ largâ principum manu collata ſunt ad ſuſtentandos Miniſtros, vix aut ne vix quidem ex manibus harum Harpyarum extorquere poſſis: (licèt adhuc cogente lege) quantò magis fraudulenter & ſordidè nobiſcum agerent, ſublatâ lege? Stipendium hoc, ingenuè confiteor, non eſt finis ultimus quem ſibi Paſtor proponat; eſt tamen Merces à DEO operariis, non fucis, conceſſa: & quamlibet hæ res externæ non ſunt noſtrum ſummum bonum, ſunt tamen ſummi boni concomitantia, ſunt virtutis adminicula & ornamenta, ſplendorem ejus & ornatum exaugentia; Eccleſ. 7, 11. ideoque à DEO tanquam pietatis præmia promittuntur. Deut. 28, 1. 2. 3. &c.

Divitiæ per ſe ad hominis perfectionem nō pertinent tanquam cauſæ principales; ſed pertinent in comparatione ſui uſus, tanquam instrumenta virtutis ſimul & acquirēdæ & exercendæ. Keckarm. Ethic. Præcognit. p. 30.

Meritò itaque damnantur Anabaptiſtæ, qui fixa ſtipendia Paſtoribus denegant. Hic aſtus & βάθος diabolicus eſt, alimentis defraudare pios Miniſtros,

Neceſſitatis eſt, accipere unde vivatur, charitatis eſt præbere; non tamen venale eſt Evangelium, ut pro his prædicetur. Aug.

nistros, ut Ecclesia talibus destituatur, & ipse furentius grassetur. Talis itidẽ est mundi ingratitudo, inhumanitas, illiberalitas & durities, ut de fovendis verbi ministris parùm sit solicitus; & tentator ipse hoc stratagemate, doctrinâ cupit privare Ecclesiam, dum inopiâ & famis metu plurimos absterret, ne id oneris suscipiant ut videre est. Nehem. 13, 10. 11. 12. 13. diripiuntur decimæ, & statim relicta est domus DEI. Hæc ingrata mundi tenacitas multorum animos dejicit, homines enim sumus, & humanis illis nonnihil excitamur aut dejicimur. 1. Reg. 19, 4. Jere. 20, 9. nôrunt quàm durum telum sit paupertas, & necessitas. Prov. 30, 8. Lam. 4, 9. itaque condonandum est aliquid imbecillitati humanæ; & liberali fovenda sunt egregia & proba ingenia, stipendio; in paucissimis reperiantur feliciori ingenio præditi, qui se studiis consecrent, aut ministerio Sacro suos dedicent.

Satan conatur totis viribus lucem Evangelii extinguere: idque duplici viâ. 1. mẽdaciis Hæreticorum, & armis Tyrãnorũ. 2. Inopiâ & fame. Luther. V. D. Gäuden. Hisper. aspist. p. 461 Quæ calamitates istam ingratitudinem secuturæ sint, brevi experientur, utraq; enim amittent carnalia & spiritualia. Luther.

—— Quis enim virtutem amplectitur ipsam,
Præmia si tollas?

Sublatis studiorum præmiis, etiam studia perierunt. Tacit.

Nonne videmus generosiora ingenia verbi Ministerium devitare, quippe quòd Ministri, & eorundem tum

Si quis ipsi Satanæ ex pacto & velut juratam in oppugnando

viduæ, tum liberi in contemptum Christianæ religionis quibusdam in locis mendicitati exponantur. Quin etiam, egestas Clericorum peperit ignorantiam, ignorantia contemptum; stipendia vilia vile produxere Curatorum incuriosorum genus. Vidit hoc Julianus Apostata, idcoque religionis Christianæ exterminiū, non vi, sed hac potissimùm ratione moliri voluit, ut Clericis omnia privilegia, honores, consuetudinesque subtraheret, & ab eis ea exigeret stipendia, quæ pridem è publico acceperant: non secùs atque hostis civitatem obsidens, quam, si vi expugnare nequit, arctâ & diuturnâ cingit obsidione, fameque ita attenuat, ut tandem se dedere cogantur cives. Tolle itaque alimentum, & actum erit de religione. Quis enim suis sumptibus linguas & artes disceret? quis gratis doceret? quis nudum & inopem peteret Ministerium?

Christi regno & debellando operam navaret, hoc rectiùs incipere non posset, quàm Ministros in tales angustias redigendo, ut necessariis orbati, suū Ministeriū abdicāt. &c. Zepper. Polit. Eccl. l. 1. c. 22. Sozomen. Tripart. Hist. l. 6. c. 4.

4. Argumentamur à 1. Corinth. 9, 6. ad 15. En Textus prægnans, quamplurimis redundans Achilleis & irrefragabilibus argumentis! Prævidit enim Apostolus mundum in alendis Evangelii ministris tenacissimum fore, cum sit ad reliqua vana & inepta profusissimus. Justô hoc Dei judicio fit, ut qui panem unum non dederunt ministro Dei & nuntio salutis; integra regna & principatus profun-

fundant in ministros Satanæ & mortis. ut rotundè & fervidè Lutherus.

1. Probat hîc Apostolus, sibi jus fuisse victum ac amictum ab Ecclesia accipiendi; Deinde, uxorem ducendi quæ publicis stipendiis alaretur, ut posteri omnes sciant illud planè verbi Ministris deberi. v.4.5.6. utque ostendat quanto & quàm claro jure suo cesserit ipse dum hæc stipendia recusavit in gratiam Corinthiorum, ut eos hâc liberalitate & generositate suâ pelliceret ad Christum, & ad salutem promoveret. Hoc confirmat primùm, argumentis â tribus Similibus ductis. vid. Jure militum, Agricolarum & Pastorum. Quis militat propriis stipendiis? q.d. sicut æquum est milites ali & vivere suis stipendiis, Vinitorem pasci fructu suæ vineæ, & Pastorem lacte gregis quem pascit: ita par est Præcones Evangelii vivere ex Evangelio, putà ex sua vinea (1) Ecclesia, & ex suo grege (1) ex Christianorum bonis alimoniam accipere. Milites nunc dierum clarâ declamant voce contra decimas, & fixa Ministerii stipendia. His salsè & appositè occurrit Apostolus. Quis miles propriis militat stipendiis? Interrogatio habet vim negandi (1) nemo. Quid enim iniquius quàm militem pro patria & salute publicâ stare in acie, pugnare in hostem,

Jure positivo & jure Gentium.

mo-

molestias, onera & pericula sustinere, & tamen cogi de suo vivere? jure igitur naturali & civili, à duce suo accipit stipendium. Sic iniquum fuerit verbi Ministros onera Ministerii subire, pro Ecclesia excubare & periclitari, nec accipere ab Ecclesia unde vitam sustentent; quippe longè gravior est, militia Doctorum Ecclesiæ, quàm pugnantium pro Rep. militant enim hi contra carnem & sanguinem; illi verò contra mundum, carnem & diabolum. 2. Cor. 10, 4. 1. Tim. 1, 18. & 2, 2. 3. 4. Sic itaque argumentatur Apostolus.

Dabis impio militi, quod non vis dare Sacerdoti? Aug.

Milites propriis non militant stipendiis,

At Ministri Evangelici sunt Milites,

Ergò, Ministri Evangelici propriis non militant stipendiis.

2, Superatis Militum phalangibus, qui contrá fixa & honorifica Pastorum salaria deblaterant; belligerat nunc Apostolus contra Agricolas, Pastores, Aratores, Trituratores, & alios ejusdem farinæ; qui adversus decimas & Ministrorum alimoniam mussitant. Adversus hos insurgit, & sic argumentatur à Minori ad majus.

à minori ad majus.

Qui colunt & plantant vitem, par est ut illi gustent uvas vitis; [ ita Noah dicitur plantâsse vineam, & bibisse vinum

num ejus, & Prov. 27, 18. qui custodit ficum, comedet fructum ejus.]

At Ministri Evangelici vineam Christi colunt & plantant, Ergò
Par est ut gustent uvas, & ab hac alantur.
Deinde, Omnis Pastor de lacte gregis alitur,
At Ministri Christi sunt Pastores,
Ergo de lacte gregis sunt alendi.

q.d. vel humanam æquitatem & publicum Sæculi usum, in reb9 multò levioribus inspicite, atq; inde colligite quàm æquũ sit, ut Evangelii Minister de Evangelio vivat. gricolam excolant, jus habent ut inde alantur & sustententur. Pet. Martyr.

Ministri Ecclesiæ cum pascant filios Dei, ac illos ut Spiritualem agricolam excolant...

3. Hos Sacrilegos adoritur Apostolus argumentis fortioribus ab Authoritate divinâ petitis. Licèt enim causa quam agit sit æquissima, quia tamen novit quam ad repugnandum versipelle sit, in re præsertim pecuniariâ, mundanorum hominũ ingenium; ideò per Prolepsin objectioni occurrit. v. 8. ubi probat, se non humanis tantùm rationib. & Exemplis vid. Militis, Vinitoris, Pastoris jã allatis sua dicta confirmare, sed ex ipsa lege divinâ stabilire. Nũ secundum hominem hæc dico? (1) nunquid humanis tantùm exemplis causam meam munio? Minimè. Lex enim Dei idẽ dicit. Deut. 25, 4. non obligabis os bovi trituranti. utitur argumento à Minori ad majus. Si non licuit negare pabulum ani-

2. Iure divino.

menti irrationali, nedum homini; si non bovi trituranti, nedum Ministro laboranti. præcipua enim cura Dei in hac lege non fuit boum, sed altius quid spectavit. vid. nos, & nostros successores, qui sumus boves Typici laborantes & triturantes in agro & arcâ Dominicâ, ideóq; pabulum necessarium nobis non esse negandum, ne famelici in labore deficeremus.

4. Argumentatur à Minori ad majus, ab exemplo aratorum & trituratorum. v. 10. si Arator & Triturator arat & triturat in Spe, sperans scilicet mercedem, & quòd erit particeps messis & trituræ suæ: tum (à fortiori) Prædicator Verbi sperare potest Salarium & laboris fructum, unde cum suis piè & honestè vivat. At justum est Antecedens, Ergo & consequens.

3. A majori ad minus.

5. Vers. 11. Argumentatur Apostolus à jure Naturali & commutativâ justitiâ, quæ postulat æqualia reddere pro æqualibus, multò magis parva pro magnis. At quis dubitet Spiritualia carnalibus, cœlestia terrenis, æterna caducis, fluxis, evanidis, multis parasangis antecellere? quanto enim anima est præstantior corpore, tanto verbum Domini victui externo præstat, cum sit cibus animæ. Valdè itaq; ingratus est pro hoc cœlesti dono, quisquis terrena gravatim suppeditat ei, à quo ipse Spiritualia (1) Evangelii prædicationem cum fru-

Antithesi rei absurditatem ostẽdit, si qui maxima accipiunt, minima negẽt Aretius.

Horrendæ ingratitudinis est τεκμήριον, eos nobis non esse cu-

fructibus ejus, vid. fidem, regenerationem & vitam æternam accepit. Hæc inquit seminavimus, Ergo æquum est ut metamus. nam:

Quicunq; seminant bona Spiritualia, illis haud gravatim temporalia subministrare debemus; Rom. 15, 27.

At Ministri Evangelici seminant bona spiritualia, Ergo

Iisdem haud gravatim temporalia subministrare debemus.

ræ, qui totius Ecclesiæ curam gerunt. Quæ calamitates istá ingratitudinem secuturæ sint, brevi experientur, utráq; enim amittent, carnalia & Spiritualia. Luther.

6. Argumentatur ab Exemplo. v. 12. Si veri Apostoli participant rebus vestris, cur non ego & Barnabas qui vobis Evangelium prædicavimus? 2. Si Pseudapostoli & Seductores accipiunt necessaria, qui vos devorant. 2. Cor. 11, 20. cur non & hoc nobis liceat, qui Evangelium Christi propagamus? Si malis solvitur stipendium, cur non potiùs bonis?

7. v. 13. Ratiocinatur à Legis Testimonio, ab Exemplo Levitarum in V. T. & ab ordinatione Domini in N. T. Hæc enim non sunt Antichristiana deliramenta (ut delirantes autumant Anabaptistæ) sed sacra decreta & dictamina: quod sequenti Syllogismo liquidò patebit.

Si in V. T. Ministri de publico alebantur, tum à fortiori, in N. T. ita sunt alendi; Arg. à Simili.

Sed in V. T. ministri de publico alebantur. Ergo.

Probatur Antecedens. Num. 18, 8. ad

31. Deut.12,6. & 14,22. & 18,1. Levit. 2,3. 10. & 5,13. & 7,7.8.9.10.14.32. & 10,13. & 27,30,32. Num.3,48. & 5,9.10. & 35,2. Exod.29,26. & 22,29. Jos.13, 14. & 21,2. 2. Chron.31,4. Neh.10,32. ad finē. & 12, 44. & 13,5. ad 15. Ezech.44,30. & 45, 4. Heb. 7,5.9. Quib. ex locis luculentissimè constat, Deum non laxum & liberum, sed ratum & statum instituisse stipendium, honorificum & plenum, ad Sacerdotes alendū, vid. ex decimis, Sacrificiis, oblationibus, Primitiis, de oleo, musto, melle, massâ, & velleribus ovium. Itē præcepit Deus ut Levitis darentur, 48. civitates ad habitandum, cum prædiis suburbanis pro jumentis. Proinde Deus dicitur eorū hæreditas & possessio, quia donaverat eis hæreditatem suam (1) partē ipsis debitam, vid. decimas, Primitias &c. Israelitarum. Ad summam, magna eorum cura habenda erat, nam dedit Deus mandatum singulare, ne desererent Levitam omnibus dieb. suis. Deut.12,19. & 14,27.19. (1) ne destituerentur victu, amictu & tutelâ, quia est Minister & Legatus Domini. Hæc omnia à Deo Sacerdotibus & Levitis fuere assignata & legibus sancita. Væ itáq; misellis istis qui minima commoda gnavis invident Pastoribus, qui vix teruncīū (lege non cogente) darent; imò qui stipendia eis debita fraudulenter subministrant, diminuunt, defalcant, juxta protritum illud:

V. Plenius. Zepper. de Legibus. l. 4. c. 10. à Lapide in Num. 18. 9. &c. D. Hall CC. Dec. 3. e. 7. p. 289. Godvvin Antiq. Iud. l. 6. c. 3. Weemse 1. Vol. p. 154. D. Reynolds in Ps. 110. v. 4. p. 478. &c. Attersoll in Nū. 6, 3. 27. p. 193. &c. ☞ Ioseph. Antiq. l. 4. c. 4. D. Dovvnā, Dignit. et Duty of. Ill

Ns

Ne capiat Christus, capit & rapit omnia fiscus.

2. Patet consequentia, ex verbis Apostoli. *Sic & Dominus ordinavit*, ut qui Evãgelium docet, ex Evangelio vivant. Sic itáq; argumentatur.

Minist. p. 76. &c. D Andrevvs in Præcept. 4. c. 11. p. 305. 306.

Quod Christus ordinavit, illud est observandum;

At Christus ordinavit ut honorificum Ministris alimentum suppeditarent Ecclesiæ. Ergo.

At ne quis objiciat hæc esse merè Mosaica, & nihil ad rhombum, probat Apostolus hanc esse ordinationem ipsius Christi, ut quicunq; Evangelium annuntient, ex Evangelio vivant. Matth. 10, 10. dignus est (inquit Christus) operarius mercede suâ. Quibus verbis & Præconibus Evangelii jus capiendi salarii tribuit; & Ecclesiam ad id largiendum obligavit. Est ergo hoc jus universale, non ad solos Apostolos, sed ad omnes Evangelii prædicatores pertinens, quicúnq;, ubicúnq;, quocúnq; tempore: Qui Evangelium annuntiant, ex Evangelio vivant, & qui * altari assident, ex altari participant. Positio est indefinita, quæ æquipollet universali. Vivant, at quomodo? Primò vivant ut homines, adeò ut nihil non solùm ad Necessitatem, sed ne ad honestam quidem voluptatem desit. 2. Vivant ut credentes, uxorum, liberorum & domesticorum curam gerentes,

* Cum dicit Leviticos Sacerdotes altaris fuisse participes, & ex sacro edisse, μεταδυμικῶς donaria significat, quæ Deo offerebantur. Calvin.

nam qui ſuis non providet, fidem abnegavit, & eſt infideli deterior. 1. Timo. 5. 8. 2. Cor. 12, 14. 3. Vivant ut Legati Chriſti. (1) ut pietatis & charitatis operibus, muneri ſuo ſint ornamento.

Ob. Tum oportet habere primitias, oblationes, &c.

Sol. Non ſequitur. nam etſi hæ ceremoniæ per Chriſtum ſublatæ ſunt, generalis tamen forma conſervandi cultum Dei, non eſt ſublata; quippe eadem eſt ratio conſervandi cultum Dei Genericè licet non ſpecificè; idque tum quantitate & proportione, tum ſufficientiâ & certitudine, aliter elumbe foret argumentum Apoſtoli, qui emphaticῶs dixit, ὅτω καὶ, Sic &, *Anglicè*, *Evenſo*. q. d. cum Miniſtri Evangelici Sacerdotibus ſucceſſerint, ergò ſimili aliquâ ratione alantur; & qui Evangelium prædicant, ex Evangelio vivāt, nempe *ita* plenè, *ita* liberaliter, *ita* copiosè, ut Levitæ & Sacerdotes vixere ſub lege. *Ita* enim ordinavit, non homo, ſed Deus, imò homo Deus. ὅτω καὶ ὁ κύριος διέταξε. Ita & Dominus ordinavit, conſtituit, præcepit. Eſt ergo debita Miniſterii ſuſtentatio, non humanum, ſed divinum inſtitutum, cui quiſquis obſiſtit, DEI ordinationi obſiſtit & ipſi ſibi damnationem acquirit.

Non ceſſante ratione legis, cur ceſſaret lex? Licèt primitiæ & decimæ neceſſariæ nunc non ſunt; tamen quicquid aut lege cōſtitutum, aut hominū liberalitate collatum eſt ad ſacros uſus, illud omne ſacrum eſt: ob eāq; cauſam horum ſublatio vel imminutio ſacrilegium eſt. Cartwright.

2. Reſpondeo, Leges illæ de primitiis

Decimarū ſolutio, ſi

mitiis, votis, decimis &c. bifariam considerantur, vel quoad substantiam, vel quoad circumstantias. Ad substantiam quod attinet, ad nos etiam pertinent, finis enim earum legum fuit, ut populus gratitudinem suam erga Deum harum rerum oblationibus declararet: idque in utilitatem Ecclesiæ, Ministerii, & pauperum. Ad quæ vel lege naturæ tenemur. Quod si verò hodierno die Magistratus leges de decimis solvendis ut alantur Ministri, cōdat; iis alacriter & promptè obediendū est, in his præsertim quæ neq; cū lege morali, neq; cū lege naturæ pugnāt. Restat itaq;, ut sicut olim Levitis, tanquā Ministris sacrorum Israelitæ de alimentis suis communicare debuerunt: ita & hodie Christiani Ministris suis liberaliter communicare debeant, quia Ministerium Evangelicum est multò *gloriosius, laboriosius & sumptuosius quàm fuit Ministerium legale. Hîc Bellarminus calculum apponit suum. Christianus Clerus (inquit ille) majoribus laboribus & sumptibus est obnoxius, quàm tribus Levitica, ut omittam dignitatem Sacerdotii (sit venia verbo Bellarminiano) nostri incomparabiliter majorem quàm Sacerdotii Aaronici. &c. nunc innumeri sunt sacerdotes qui docti esse debent, & proinde multum in studiis ex patrimonio suo insumere, quos certè

considerentur secundū suam substantiam (1) ut sunt necessaria sustentatio Ministrorū ita jure divino & naturali sunt debitæ, nec ulla consuetudine possūt tolli: Si verò considerentur secū dum suam quotam partem, ut sunt decima pars fructuum; & ita debitæ sunt jure positivo & Ecclesiastico. Lessius.

* V. Ep. Hall CC. Dec. 3, c. 7. Sect. 2.

Bellarm. de Clericis. l. 1 c. 25. mihi p. 319.

honestè pro status sui conditione vivere oportet ex Ecclesiæ bonis.

5. Argumentamur ab utili. Quod facientibus parit benedictionem, illud est faciendum; Sed honesta & liberalis Ministrorum sustentatio, facientibus parit benedictionem. ut videre est. Deut. 14, 22.23.28.29.c. 26, 12. ad 16, 2. Chron. 31, 10.Prov.3,9.10.Mal.3,10.11.12. Honorificentissimè sepelitur Jehojada sacerdos, quòd exercuisset bonum erga Deum & domum ejus. 2. Chron.24, 16. Temporalia Dei servis impensa, non pereunt, sed parturiunt: Decimæ enim sunt murus opum (ut loquuntur Rabbini) quia eas tuentur & conservant. Sanè & sanctè Augustinus, majores nostri ideò copiis omnibus abundabant, quia Deo decimas dabant. Esto itaque liberalis in Deum, Deique Ministros, & senties Deum vicissim multò in te liberaliorem: nec enim liberalitate à creaturis suis se vinci sinit creator.

Decima, ut dives fias. Proverb. Jud.

Deus qui dignatus est totum dare, decimam à nobis repetit, non sibi sed nobis sine dubio profuturã. Aug. de Tẽp. Ser. 219.

Deinde, quod multas peccandi ansas tollit, illud est utile & valdè necessarium; Sed salarium certum, ratum, & legibus sancitum, multas tollit ansas peccandi. Majorem nemo sanus negabit. Minorem probo. 1.per fixa & rata salaria tollitur adulandi ansa; 2. Libertas loqúendi, cum παῤῥησίᾳ Evangelicâ ità meliùs servatur: nam

nam à quibus indies acciperent, eorum vitia aut non possent taxare, aut fraudi illis esset liberiùs contra mores & vitia recepta agere. at cùm nemo de suo quicquã numeret, sine metu liberiùs omnium ordinum homines officii sui admonentur.

3. Malevoli minùs criminari possunt Ministros, quasi plus accipiant quàm fateantur, cum illud boni nunquam sint facturi; tamen odio malorum tali suspicione onerantur.

4. Mali & scelerati reprehensi, quid darent? utique perire fame paterentur Ministros; cùm ne jam certis stipendiis patiantur eos quietè & tranquillè vivere.

5. Tollitur arrogantiæ ansa, vitium in spontaneis contributionibus admodum familiarum. Latere non possunt liberaliores, & arrogantiores eo genere reliquos excellerent.

V. Plura, in elaboratiss. libro, Gul Pryn, cui titulus, A Plea for Tythes, p. 22. &c. & Treleny, Vnde ceiving Ye people & p. 22.

6. Tollitur victûs & amictûs comparandi solicitudo; ita ut liberiùs possimus Legi *Dei vacare*.

6. Ratiocinamur ab inutili & Damno.

Quod maledictum est à Domino, illud est fugiendum,

Sed defraudatio Ministrorum Dei maledicta est à Domino. Ergò.

Major per se patet. Minor probatur,

tur, è Malach. 3. 8. 9. nunquid homo fraudabit Deum? vid. decimis suis & juribus. at vos spoliâstis me: Spoliat enim homo Deum, quando illius Ministris subtrahit decimas, & alia ad victum necessaria: quo fit, ut illi paupertatem diffugiant, & Deum Deique cultum relinquant: maledictione itaque maledicti estis (1) fame, penuriâ & sterelitate terræ. Laqueus enim est homini deglutire sacrum. Proverb. 20. v. 25. (1) valde periculosum, nam laqueus citò prendit, tenet certè, & perdit subitò. Acutè Augustinus. Novem tibi partes retractæ sunt, quia decimam dare noluisti, hæc est enim Domini justissima consuetudo, ut si tu illi decimam non dederis, tú ad decimam revoceris.

V. August. Serm. 219. de decimis.

7. Peccata clamantia sunt vitanda, Sed operarios defraudare, refert scriptura inter peccata clamantia & gravissima. Deut. 24, 14. 15. Jerem. 22, 13. Jac. 5, 4. Clamor hic est atrocitas & enormitas sceleris, quæ excusari vel occultari nequeat, aures Dei & oculos verberat, eumque ad iram & vindictam impellit. Notent hoc ingrati mundani qui pastoribus non solvunt debita sua, sed cogunt eos fame & ærumnis mori. Scholastici quatuor observârunt peccata clamantia

O felices Medici, feliciores Jurisperiti, qui pauculas

mantia in Scriptura, memoriæ ergò hoc distticho comprehensa.

Clamitat in cælum vox sanguinis & Sodomorum.

Vox oppressorum, mercesque retenta laborum. Quod si verò defraudatio messorum & agricolarum sit Deo detestabilis; quanto detestabilior est Pastorum fidelium defraudatio, qui nobis inserviunt, & salutem nostram curant; qui operarii sunt in vinea Domini, & cooperarii Dei.

pagellas nō raro vendunt multis aureis. Juxta protritū illud : Dat Galenus opes, dat Justinianus honores. Soli Christi Ministri fame pereunt.

8. Si Patres nostri carnales, à quibus habemus Esse, organicè tam Jure naturali quàm Jure divino, à nobis sint alendi; tum patres nostri spirituales, à quibus habemus nostrum bene Esse, instrumentaliter, (à fortiori) à nobis sunt alendi. Patet antecedens. 1. Debetur parentibus à liberis Alimentum. Gen. 45, 9. 10. 2. Amor, idque non solùm dum in vivis fuerint, sed & defuncti. Gen. 25, 9. & 50, 2. 3. Reverentia, cordis, oris & operis. Exod. 20, 12. 1. Tim. 5, 4. 4. Obedientia, Jerem. 35, 18. Coloss. 3. 20.

Probatur consequens. 1. Cor. 4, 15. Gal. 1, 14. 15. & 4, 19. Philem. 9. 19. 1. Thes. 5, 12. 13.

9. Qui Lectioni, exhortationi & doctrinæ attendunt, qui hæc curant, hæc agunt, in his toti sunt, neque hujus vitæ curis sese implicare debent, hos necesse

est

est ab Ecclesia fixa accipere stipendia; At Ministrorum Evangelicorum est, Lectioni, exhortationi & doctrinæ attendere, hæc curare, hæc agere, &c. Act. 6. v. 2. 4. 1. Timoth. 4. v. 13. 15. 16. & 2. Timoth. 2, 4. Proinde Levitæ qui horum fuere Typus, in divisione terræ sanctæ, nullam ejus partem ut aliæ tribus acceperunt; ne terrenis & sæcularibus negotiis implicarentur; sed ut toti vacare possent DEO & Templo; ideò portio eorum hæreditaria fuit Dominus (1.) decimæ & victimæ DEO oblatæ; hæ enim cedebant in usum Levitarum, ut inde viverent, ne aliundè victum sibi comparare, & de eo solliciti esse cogerentur. juxta protritum illud:

Pluribus intentus, minor est ad singula sensus.

10. Si Idololatræ & Ethnici erga Sacerdotes Baaliticos & Seductores fuere prodigi; tum minimè decet nos erga sinceros verbi Ministros esse parcos & tenaces:

Sed Idololatræ & Ethnici erga suos Sacerdotes fuere prodigi. Teste Jesabel, quæ ultra octingentos falsos Prophetas Baal, de regia sua cibavit mensa. 1. Reg. 18, 19. dum centum Prophetæ Domi-

Hoc est mũdi ingeniũ, Satanæ Ministris largè

Domini in ſpeluncis abditi, pane & aquâ ſuſtentabantur. v.13. ſic Iſa. 46, 6. effundunt aurum Idololatræ pro Idolis ſuis uſqun ad * prodigalitatem. Imò vel ipſi Ethnici ex captis hoſtium ſpoliis decimas dare Diis ſuis conſueverunt; & ipſe Pharaoh licèt Ethnicus, de ſua tamen menſa nutriebat Sacerdotes. Quod ſi Papicolæ ſacrificulos ſuos indoctos, & Jeſuitas avaros, impoſtores notiſſimos, tantâ largitione & penè omnium effuſione nutriunt & ſuſtentant: tum docti & fidi Chriſti Miniſtri ab auditoribus ſuis victum & amictum meritò expectent. Nec abradendæ ſunt nuntiorum Dei barbæ, nec præſcindenda veſtimenta uſq; ad nates. Carbone itaque notatur impius Achaz, quòd Sacerdotes Dei ad mendicitatem voluit redigere. 2. Chron. 28.

farcire ingluviem, Piis verò Paſtoribus vix malignè victum ſuppeditare. Calvin.

* Prodigunt aurum. Tremel.

11. Omne Sacrilegium eſt vitandum,
At defraudare Miniſtros Chriſti propriis
ſtipendiis eſt Sacrilegium. Ergò.

Major per ſe patet. Probatur minor, Mal. 3, 8. ſpoliaſtis & expilaviſtis me, nempe in decimis & oblationibus. hîc Deus injuriã hanc, non tam hominibus quàm ſibi factã eſſe conqueritur. Sacrilegium itaque non eſt ſimplex furtum, ſed rerum ſacrarum furtum, quod eſt gradus furti ſupremus. Sacrum verò eſt, quòd ſacris uſibus, vel Dei

Cum Diis pugnant Sacrilegi. Q. Curtius. l. 7.

Amicò quis quam eripere eſt furtũ; Eccleſiam fraudare Sacrilegium. Hieron.

Digitized by Google

Dei instituto & jussu, vel hominum voluntariâ & spontaneâ largitione addictum & devotum est: sive ad usum cultûs divini, & scholarum conservationem; sive ad pauperum sustentationem collatum sit. At si nefas est hæc DEO data, & cultui ejus dicata, subtrahere; quanto scelere tenebuntur, qui cum ipsi nihil contulerint, ab aliis collatum eripere conantur? cum vel testamentum hominis nemo immutat aut disponit aliter quàm à Testatore ordinatum & dispositum est. Gal. 3, 14.

Caveant itaque Reip. gubernatores, apprimè caveant, ne bona Ecclesiastica ad se rapiendo, & sacris consecrata in privatos usus couvertendo, grandi Sacrilegio sese obstringant. Certo enim certius est, neminem sacra Dei impunè unquam abstulisse.

——— Quis enim læsos impunè putaret
Esse Deos? Lucan. l. 3.

Ut aquila ex altari carnes & carbones furreptos nido inferens, & nidum & pullos exussit; sic Harpiæ ac vultures illi qui bona Ecclesiastica per vim rapiunt, eadem non commodo, sed exitio sibi fore experientur. Ps. 83, 11. 12. 13. Imò aderit tempus, cùm quod ita avidè devorârunt, eos vel tetigisse pænitebit. Tales

Alimur spoliis Ægypti collectis sub Papatu, & hoc ipsũ tamen quod reliquum est, etiam diripitur à Magistratu, spoliantur Parochæ & scholæ, non aliter ac si fame necare nos velint. Luther.

Gravissimũ sacrilegium est quod in Ministros verbi admittitur. Hi enim non tantùm rei sunt propriæ perditionis. Sed etiam interitûs infinitarum animarum, quæ præ inopia verbi Dei subsequentibus ætatibus perituræ sunt, q. Ministris sustentandis justa stipendia desunt. Cartvvright

Tales hirudines Sacrilegium seminant, & ruinam metent. Tollunt * ἀναθήματα, & fiunt ἀνάθεμα. Aurum habent * Tholossanum, teste Belshazzare, Antiocho, Pompejo, Juliano, Claudio, Fulvio, Pyrrho &c. ut videre est apud Lactãt. l.2.c. 4.7. Nec mirum, nam sacrilegiũ est Idololatriâ nonnihil deterius, quippe omnis numinis contemptum arguit. Rom. 2, 22. abominaris Idola, & sacrilegium committis? q.d. abominaris falsos Deos, & spolias interim verum Deum quod est pejus? Deinde, luent pænas injustitiæ, quia retinent alienum, cui annexa est malitia quædam sacrilega, quia decimæ debentur DEO, tum gratitudinis ergò, tum ad divinum cultum sustentandum. Sed quò feror? supersunt tantùm Anabaptistarum strophæ, quæ paucæ sunt, nec magni ponderis, ideoque paucis sunt diluendæ.

* Donaria Deo dicata.

* Multum fuit auri in oppidi Tholossani Templis, at quisquis illud attigit, misero cruciabiliq; exitu periit. Aul. Gell. Noct. Attic. l.3.c.9. V. Plenius. Trapp. in Malach. 3. 8. 10. ☞ Sciant qui beneficiorũ appropriationes obtinent quas vel hæreditario iure, vel emptione justâ se possidere arbitrantur, has ab Ecclesiis (contra jus divinum) olim surreptas & suppilatas fuisse, easdemque per violentiam & sacrilegium Papisticum se nequissimè usurpare, Ecclesiis debent restituere. D. Gifford.

CAP.

# Cap. IX.

*Diluuntur fanaticorum & phrenetico-rum deliria.*

Ob. 1. Urgent 1. Legem decimandi in V. T. terminis terminantibus quàm sæpissimè mandari; at hoc sub novo T. minimè obligare, quia tale non extat κατὰ ῥητὸν, mandatum.

Sol. Facessat ergo dies Dominicus, facessat infantium Baptismus, facessant vectigalia, facessant denique debita, &c. quia hæc κατὰ τὸ ῥητὸν in N. T. non inveniuntur. At decimæ quæ mandantur in V. T. non abolentur in novo quoad spiritualem & moralem earum usum. idq; patebit triplici ratione. 1. Pietatis ergò, quia dantur Deo & ejus cultui. 2. Gratitudinis ergò, decimæ enim sunt laudis Sacrificium, propter dona nobis à Deo data. Gen. 28, 22. Deut. 8, 18. 3. Justitiæ commutativæ ergò, nam si spiritualia seminavimus, magnum non est si carnalia metamus.

Lex vetus de Sabbato & decimis monstrat

Debentur itaque Ministris Christi decimæ vel fixa stipendia. 1. Jure divino morali, non Jure Ceremoniali vel judi-

Judiciali: æquum enim est ut minister qui alit animas à populo alatur, & qui Evangelio inservit, æquum est ut de illo vivat.

Proinde stipendia Ministris debita, sive persolvantur ex agris, sive ex ædibus, sive pecuniâ numeratâ, sive decimis &c. parùm refert, modò non serviliter & sordidè, sed liberaliter & honestè sustententur.

Christianos obligari, nè minùs septimâ temporis parte ad cultum divinum, seponant nec minùs fructuum decimâ in alimenta eorum qui in Sacris rebus occupantur. Grotius de Iure bel. l.1.c.1. s.17.

Dilucidè & eruditè Estius. Quod in genere jubet lex divina & Naturalis, id lex Ecclesiastica determinat, dum certum aliquid constituit Ecclesiæ Ministris à populo accipiendum, velut Decimas, &c. Decimæ itáq; non sunt præcisè in N.T. imperatæ, nec necessariæ, etsi non injustæ, sicubi Magistratûs authoritate sancitæ fuerint, qui semper tenetur commodissimam fovendi Ministerii rationem inire, sive ex decimis, sive ex aliis proventibus, prout ædificationi Ecclesiæ, & Ministerii dignitati serviturum arbitratus fuerit.

Solutio decimarum est de jure Divino, imò de jure Naturæ (1) ut laborantes alantur Ministri; at quantum ad quotam partem, quòd sit decima, octava, undecima &c. est de jure Positivo Ecclesiastico. Tolet. CC. l.6 c.20. Consule Paræum in Heb.7,5.

2. Jure Naturali, vel ipsi Ethnici decimas Diis suis offerebant, ut Græci, Carthaginenses, Romani &c. qui Jovi decimam de præda sacraverunt.

V. Aug. Serm. de Tempor. 219. de Red. decim.

Primitias frugum Cereri, sua vina Lyæo.
Virgil.

I Quod

Quod si ex manubiis debeantur decimæ; Quanto magis ex certiori proventu?

3. Jure Gentium, & jure Positivo nostri regni. Has dedit Ecclesiæ Offa Rex ille Saxonicus. Anno 793. Stabilivit & auxit ille Rex Ethelwolfus. Ann. 855. qui decimam possessionis suæ, & totius regni partem Deo immolavit: Piâ hâc precatiúculâ omnia perstringens; vid. Qui augebit nostram donationem, augeat Omnipotens Deus dies ejus prosperos; si quis verò mutare vel minuere præsumpserit, noscat se ad tribunal Christi rationem redditurum. Huic astipulatur Rex Athelston. Anno 930. Has deniq; unà cum Magna charta trigesies confirmârunt Parliamenta.

Hæc abundè testantur Math Westmonast. Rog. Hovèden. Hen. Huntingdō S. Hen. Spelman Waterhouse, Apolog. p. 94 95. &c. ☞

His omnibus liquet, Pastores Evangelicos præstantiorem habere Titulum ad decimas suas quàm vel ipsos Proceres, Equites, Generosos ad proprias hæreditates. 1. Quia hæ à Majoribus nostris Deo & ejus cultui donabantur, ac proinde ab eo sine Sacrilegio tolli non possunt: at Procerum hæreditates ab iis ábsq; Sacrilegio adimi possunt. 2. Mandavit Deus Salarium sufficiens, honorificum, fixum Ministris Verbi reddi, ut anteà ostensum est. At tale non extat peculiare mandatum pro terræ Proceribus eorúmq; successoribus. Itáq; bis sunt Dei, quæ sic sunt Dei.

1. Dei

1. Dei sunt Jure divino primariò. 2. Jure humano & Secundariò, quia Deo ejusq; cultui fovendo dicantur.

2. Ob. Urgent 2. Populus vult tolli decimas, declamitant, vociferantur, decimæ sunt onerosæ. Antichristianæ, Judaicæ, &c.

Sol. Respondeo per idem. Exclamant populus, Vectigalia, agrorum & domorũ proventus &c. esse onera: Apagite ergò onerosa vectigalia, apagite proventus, apagite debita. &c. inter amicos omnia sint communia.

2. Parùm refert quid sentiat populus, bellua multorum capitum; argumentum pessimum esse turbam, dixit Ethnicorum sapientissimus Seneca. Nec refert quàm multi sint, sed quàm probi.

Multitudo errantium non parit errori patrocinium. Hieron.

3. Populus pius, populus sanus, optima & Sapientissima pars populi decimas tolli nolunt.

4. Nec sunt decimæ Judaicæ. 1. quia ante latam Mosis legem Abrahamus Melchisedecho decimas solvit ex omnib. quæ possidebat. Gen. 14, 20. Heb. 7, 2. & Jacobus votum vovit Deo exsoluturum se Deo decimas ex omnibus. Gen. 28, 22. Deinde, non persolvuntur Ministris Evangelicis Jure Cæremoniali, sed jure Morali & jure Positivo regni. ut antè plenius ostensum est.

Sicut quod mandato quarto ceremoniale fuit, cessavit, ejus verò quod morale, remanet: ita & in decimis, quod fuit cæremoniale, evanuit, quod Morale fixum

5. Nec sunt Antichristianæ, ut blaterant nonnulli Antichristi, qui decimas odio plusquam Vatiniano prosequuntur dum sint auditores, ut sibi servent pecuniam: derepente verò facti Præcones, decimas statim accipiunt, decimas colligunt, pro decimis contrahunt; nec his cōtēti Augmentationes quærunt: ita boves arant, pascuntur asini. Hos scitè & salsè taxat Vates non vanus.

permanet; ut pro laboribus Ministris satisfiat. Zepper l.4. de Lege Mosis. c.10. Ex Heb. 7. patet, decimarum persolutionem aliquo modo naturalem esse, nam tum nulla decimis lata fuit Lex Ceremonialis: decimæ enim propriè & primùm ad Deum ipsum pertinebant.

Heu servi regnant; famuli dominantur; aselli
Ornantur phaleris, dephalerantur equi!

Sed ad rem. Decimæ non sunt Antichristianæ, quippe jure Naturæ, jure Gentium, & jure Morali; non jure Canonico vel jure Pontificio Ministris Ecclesiæ debentur. imò priusquam surrexit Papa solvebantur decimæ.

6. Si decimæ sunt injustæ, onerosæ, impiæ; tum Deus injustitiæ, oppressionis & impietatis author est, (quod sine summa blasphemia dici nequit) ille enim decimas peculiari mandato in Levitarum suorum sustentationem sub lege designavit; has non abolet nec abrogat in genere Evangelium, sed potiùs in specie sancit, stabilit, confirmat, ut patet. Matth. 23, 23. 24. Gal. 6, 6. 1. Cor. 9, 13. 14. Hebr. 7, 1. ad 10. Quod si sapientissimus Deus talem alendi Mini-

V. pleniùs, Στερέωμα p.36. &c. & Pryn. Plea for Tyth. p.129. &c.

Miniſtros ſuos rationem duxerit optimam, quis illum docebit?

7. Decimæ non ſunt onera, quippe à piis regibus Eccleſiæ Dei gratis donabantur, (ut patet antè) non ſunt itáq; populi onera, ſed Regum & Majorum noſtrorum dona, Reip. legum quàm ſæpiſſimè rata & ſancita.

8. Inveniatur & detur tam ſufficiens, fixũ, & Honorificum ſtipendium, & faceſſant decimæ. At cum decimas eſſe * æquiſſimum & certiſſimum ſtipendium Sapientibus conſtet; cur fanaticorum & phreneticorum votis tollerentur? Ut hic itáq: morbus ſanetur Epidemicus, unum tantùm reſtat malagma. vid. Decimas è manibus harpyarum rapacibus extorquendo Impropriatas (ut loquuntur Cauſidici) verè Improprias & quamplurimis improſperas, ut Sacer carbo Aquilæ nido. Graviter & ſeriò de talibus conqueritur Lutherus. In hac & aliis ditionibus plurimæ ſunt Harpyæ, Præfecti nimirùm & Quæſtores, quorum tanta invidia & malignitas eſt, ut ea quæ largâ manu principis collata ſunt ad ſuſtentandos Miniſtros Eccleſiæ, ægerrimè ex ipſorum manibus extorquere poſſis. Hoc opus eſt arduum & Herculeum; at verò Regium, verè Parliamentarium. Nullus dubito, quin pii omnes omnia facere velint, ut hoc perficiant. Nec

* Quæ æquior minúſq; gravis alendi eos ratio eſſe poteſt quàm ex agrorũ decimis? Zepper Nota Contra hos ſacrilegos intonat clariſſimus ille Perkinſ. in Iudam. 12. & Atterſoll in Num. 18, 20. p. 702. &c. Willet in Synopſ. Pap. controverſ. 5. Q. 6. p. 313. & Roberts de decimis cap. 11. p. 76, 77.



Digitized by Google

minima fuit Londinensium laus, quòd Impropriationes emerint, & Ministris Christi reddiderint. At quorum culpâ, & qualis fuerit eorum exitus qui opus hoc eximium impedierunt, omnibus innotescit.

3. Subdolè & Sophisticè argutantur, à Mich.3,11. Sacerdotes ejus mercede docent, & Prophetæ ejus pecuniâ divinant.

Est fallacia Accidentis, non enim hîc damnatur pecunia, sed in ordinata cupiditas pecuniæ.

Resp. Aliud est mercedem accipere, aliud mercenarium esse, & mercedis tantùm gratiâ docere. Prophetæ Dei laborum mercedem accipiunt annuente Christo. Matth. 10, 10. at Pseudo-Prophetæ quos hîc redarguit Propheta, pecuniæ tantùm gratiâ falsa docebant, & placentia loquebantur ut stipendia acciperent liberaliora. Accipiunt itaque Pastores Ecclesiæ salaria, non tanquam Ministerii mercedem, sed ut vitæ necessaria parent, & in sancto suo opere persistere queant.

4. Ob. Argumentum fanaticorum decumanum & palmarium petitur è Matt, 10,8. 9, gratis accepistis, ergo gratis date, non possideatis aurum.&c.

Resp. Nuperum & musteum est hoc Anbaptistarum figmentum, quo omnia salaria ex Ecclesia eliminanda esse censent; at hallucinantur. Nam Christus ipse

ipse nodum solvit. v. 10. dignus est operarius mercede suâ. & ipse exemplo suo testatissimum fecit, quippe qui à mulieribus τὰ ὑπάρχοντα (1) oblationes divitum unde viveret, accepit. Luc. 8, 3. ita Joh. 12, 6. & 13, 29. Nec Apostoli recusârunt salaria ab Ecclesiis. 1. Cor. 9, 4. 5. 6.

2. Temporale seu pro tempore tantùm fuit illud mandatum, non morale, nec ad legẽ perpetuam trahi debet. Nam de miraculis hic agit Christus, & vetat Apostolos, miraculosas sanationes pecuniâ vendere, quia donum illud gratis à Deo iis datum fuit, itaque gratis eo uti debent. Ut Elisæus, Naamanem à lepra liberans, ejus munera respuit 2. Reg. 5, 15. 16. Proinde τὸ gratis accepistis, non tam respicit opus Prædicationis, quod laboriosum est & totum requirit hominem, quã operationem miraculorum de quibus loquutus fuerat. v. 8. & in quibus non adhibetur multum laboris.

Gratuitæ dispensationi non repugnat quòd Ecclesiæ Doctores publicis aluntur stipendiis, modò ultrò & liberaliter Christo & Ecclesiæ serviunt; victûs autem sit quasi laboris accessio. Calvin.

3. Speciale & temporarium fuisse hoc præceptum, & ad primam illam in Judæam ablegationem duntaxat spectans, ut sine omni mora mandata Christi exequerentur, patet. Luc. 22, 35. ubi de præterita hac missione & præcepto loquens Christus. *Antea* misi vos (inquit ille) sine pe-

Quia tale erat legationis gen-



ut discipulos vellet Christus intra paucos dies totam Judæam lustrare, & statim ad se reverti, sarcinas secum gestare vetat quæ celeritatem hanc morentur. Calvin.

ra. at *nunc* qui habet sacculum tollat. &c. ubi τὸ *misi* significat elapsum jam esse hoc præceptum, & τὸ *nunc* significat aliud diversum nunc iis præcipi. vid. ut tollant peram, & emant gladium.

4. Apostolos posteà ex Evangelio vixisse, patet. Act. 4. & 5. ubi primitivi fideles omnes suas facultates eis offerebant, ex quibus ipsi & cæteri omnes vivebant.

——— Heu quantum distamus ab illis!

Domos tunc temporis & fundos venundabant in usus Apostolicos; at nunc de patrimonio nec decimas damus, & cum vendere jubeat Dominus, emimus potius & augemus rem.

5. Hoc præceptum quoad scopum & substantiam fuit perpetuum, qui erat ostendere animum alienum ab avaritia; ut omnibus essemus exemplar Sanctitatis, contemptûs opum, animique excelsi ac cælestis.

V. Plenius. Pryn Plea &c. p. 38. & p. 146. &c.

6. Apostoli missi fuerant ad sanandos omnis generis ægrotos; Christus verò prævidens quosvis libenter quidvis largiri pro sua & suorum sanitate, privatum quæstum interdixit iis.

5. Ob. Urgent perperam Ministrorum Ecclesiæ osores, Exemplum Pauli quod est planè ἀπροσδιόνυσον. Act. 18, 3. 20. 34.

20.34. 2. Thes.3,8. Paulus victum sibi labore manuario quærebat, ergo omnes Ministros Evangelicos exemplum ejus obligat.

Resp. Non sequitur. nam ut una hirundo non facit ver, ita singulare & particulare factum non facit regulam universalem. Nec hîc aufert Apostolus quod Dominus Ministris suis concessit; sed locis quamplurimis eorum jus, nempè ut de publico alantur, vindicat. 1. Cor.9,14. Gal.6, 6. 1. Tim. 5, 17. De Ministrorum jure ad stipendia sua ex hisce locis constat; jure, cæteris paribus obligare Pauli exemplum non imus inficias. 1. Si dono extraordinario docendi sint instructi, ut possint absque studiis & meditationibus munus suum obire: sic potuit Apostolus.

Vide hîc generositatem Pauli, poterat alimoniā à Christianis exigere, ut reliqui Apostoli, at noluit, ut omnibus liqueret, eum non lucra, sed animas venari, ut plures ad Christum converteret à Lapide.

2. Si aliunde vivere possint, sitque necesse propter Ecclesiæ paupertatem, in tali necessitatis casu Ministri suo jure cedere debent, ne obicem Evangelio ponant, & ne Ecclesiæ simus oneri. 1. Thes. 2,9. & 2,3.8.9.

3. Ut malos doctores confundamus, qui mercede conducti docent, & illis calumniandi ansam præscindamus. 2. Cor. 11,9.12. At tales non extant causæ hodierno die, neque quoad Ministros, neque quoad Ecclesiam. 1. Ministri non sunt

tali extraordinario dono ornati 2. Ecclesia liberalitate majorũ & beneficio principum bona Ecclesiastica possidet, pastorum sustentationi & sacris destinata; ut sine Ecclesiæ gravamine liberaliter ali possint. Quin etiam tempore Apostolico fuit bonorum communitas, quæ decimarum carentiam affatim compensabat.

Distinguendum est de Ecclesia. 1. Est Ecclesia constituenda quæ plerumque constat ex infimis & pauperibus sine potenti principe vel prædivitibus Magistratibus, qui certa & fixa erigant stipendia; & talis fuit Ecclesiæ status tempore Christi & Apostolorum, & hîc cedendum est jure nostro. Deinde Apostoli prædicabant Ethnicis quibus Evangelii dignitas & Ministerii necessitas planè fuit ignota. 2. Est Ecclesia constituta, Principibus, Magistratibus, divitibus & legibus ornata, unà cum honestis stipendiis à Magistratu constitutis; hæc Pastoribus fidelibus jure divino debentur. Proinde Paulus ipse fatetur se aliquoties accepisse necessaria ab Ecclesiis. Phil. 4, 16. brevi, pro Hic & Nunc, pro loco & tempore varíant stipendia. Nam cum alii cætus sint ditiores, alii pauperiores, nemo dubitat quin illi & possint & debeant liberaliùs suos sustentare Pastores, quàm isti. Nec æquan-

æquanda sunt omnium Pastorum stipendia, tum propter disparia Pastorum dona, tum dispares labores, tum inæquales familias, tum cætuum dignitates, &c.

6. Ob. Divites sunt nonnulli Ministri, & cælibem agunt vitam, ergò gratis prædicent & de suo vivant.

Resp. Non sequitur. nam universale est illud Christi effatum. Matth. 10, 10. dignus est operarius (1) omnis operarius sit dives inopsve, maritus vel cælebs, alimento suo. e.g. Melchisedech fuit rex ditissimus, hoc tamen non obstante decimæ solvuntur ipsi ab Abrahamo. Gen. 14, 20. non obligabis os bovi trituranti, sive pingui, sive macero. Adhæc, si minister dives nihil accipiat, illos gravabit & onerabit invidiâ, qui stipendia ab Ecclesia accipiunt, & cum ei non dederint solitam stipem, homines nefarii tali consuetudine illecti, eam successori denegabunt. Quare stata stipendia accipiat ille, sed pauperibus eroget, & in publicos usus convertat. Christus, ipse facilè potuit immediatè sibi suisque Apostolis de victu ac necessariis ad vitæ sustentationem per miracula prospicere, at placuit illi ex iis vivere, quæ ipsi à piis subministrabantur, ut suo nos instrueret exemplo. Luc. 8. v. 3.

Non est restringendũ ubi lex non restringit. Reg.

2. Resp. per idem. nonnulli milites

sunt

ſunt divites, ergò gratis pugnent, ſpretis ſtipendiis militent, & de ſuo vivant.

3. Etſi nonnulli Miniſtri uxores & filios naturales non habeant, habent tamen pauperes qui ſunt illis loco filiorum, quos jure divino tenentur ſuſtentare.

---

## Cap. X.

Corollarium 6.

Caveant denique Paſtores omnes Evangelici ne Sal inſipidum & inſulſum ſint: Salis induimus nomen, induamus & naturam, nam nomen inane, crimen immane.

Rectus verò & regularis ſaliendi & paſcendi modus eſt decuplex.

Saliat & Paſcat Paſtor
- 1. Exemplariter & Vitâ.
- 2. Miniſterialiter & voce.
- 3. Diligenter.
- 4. Audacter.
- 5. Amanter.
- 6. Ardenter.
- 7. Purè.
- 8. Planè.
- 9. Plenè.
- 10. Sincerè.

Prædicatorum vita eſt

1. Gregem paſcat Exemplo, diſcat ipſe

ipſe priuſquam doceat; maximum enim pondus ad vitæ ſanctitatem habet Paſtoris vita: illa plus docebit quàm omnes conciones politiſſimæ. Exemplis faciliùs ducimur, quàm præceptis, proinde præbeamus noſmet ipſos virtutum & bonorum operum Exemplaria & τύπυς, quæ imitentur omnes. 1. Timo. 4, 12. Tit. 2, 6. 7, 1. Pet. 5, 3. Lingua ſanè docet, at jubet vita; quippe efficacior eſt operis quàm oris vox; nam vita voci dat efficaciam, cum loquamur ut oracula, vivamus ut numina. Summa itaq; movendorum affectuum in eo eſt, ut priùs ipſe ſis motus; meliùs perſuadebis aliis, ſi priùs perſuaſeris tibi, remedia meliùs adhibebit ille, cui nota, quæ nocent, fuerint. Sani itaque Paſtoris eſt, flere ſecum, priuſquam alios ad fletum provocet, & plus apud ſe retinere doloris, quàm aliis faciat.

———Si vis me flere dolendum eſt
Primùm ipſi tibi. Horat.

Illa vox auditorũ corda faciliùs penetrat, quã dicentis vita commẽdat; loquentis enim authoritas perditur, quãdo vox opere nõ juvatur. Imò homicidæ agit partes (ut ritè Auguſtinus) qui malè vivit quantum in ſe eſt, eum à quo attẽditur, occîdit. Vel

vocaliſſima. Longum eſt iter per præcepta, breve & efficax per Exempla. Seneca: Moribus debet eſſe cõſpicuus, qui detur imitandus. Caſſiodor. V. Sen. Epiſt. 20. & 75.

Dici nequit, quantum habeant põderis vel quæ inculta, modò à ſancto, ſive docendo, ſive ſcribendo, proveniunt. cum quæ à minus ſancto, limatiùs perpolita, ingenioſè expreſſa, in nihilum evaneſcunt. Bovvles. Paſt. Evang. l. 1. c. 4. ubi plura. V. Act 6. 7. 2. Paral. 29, 34.

Cujus vita deſpicitur, ejus prædicatio contemnitur. Greg. Non poteſt authoritatem habere ſermo, qui non juvatur Exemplo, dum iniquũ ſit bona præcipere, & talia non feciſſe. Caſſiodor.

Vel monstrosa res est (ut eleganter Bernard. ad Eugen. l. 2. de consider.) gradus summus, & animus infimus; Sedes prima, vita ima; lingua magniloqua, & manus otiosa; sermo multus, & fructus nullus; vultus gravis, & actus levis; ingens authoritas, & nutans stabilitas; facies rugosa, & lingua nugatoria. &c. contra tales intonat Apostolus. Rom. 2, 1. 21. qui alios doces, teipsum non doces? &c. Hi præceptis suis detrahunt pondus, opere destruunt, quod ore ædificant; cælum voce petunt, vitâ gehennam; linguam DEO, animam consecrant Diabolo. De talibus conqueritur* Doctissimus ille Theologus. Cui bono profunda scientia sine cõscientia; pura? polita lingua sine probata vitâ? nisi forsan ut referas accuratè Babylonii Nebuchadnezaris in concinnam statuam cujus aureum caput desinebat in Luteos pedes, quasi coronâ gravatum modò, mox autem ruinâ confringendum: vel Bufonem gemmatum si fortè capite, toto certè corpore venenatum, odioque magis ingenti quàm pretio nobilem. &c. sedeat itaque in labris suada, sed & fibris gratia, quæ sola verè flexa nima & medulla suadæ penetrantissima, &c.

* D. Stoughton. in felicit. Vlt. Sæculi. p. 91. 92. 93.

Ita potestate & granditer dicatis, quia non

Proinde Salvatorem nostrum imitemur, qui potens fuit opere & sermone. Luc. 24, 19. nec frigidè, sed fervidè summa

ma cum libertate & authoritate docuit. Matth. 7,29. cæpit enim priùs facere, deinde dicere. Act.1,1. primus ipse fuit humilis, mitis, mundus, pacificus; dein docuit, beati sunt mites,mundi, pacifici. Ut Johannes B.fuit tota vox;ita pietatē spirēt victus, vestitus, verba & vita nostra; ut quicquid agamus, quicquid loquamur gregem erudiat. Ita & Ezra [7,10.] primò præparavit cor suum ad quærendam legem Jehovæ, ut faceret eam; deinde ut doceret. En viam rectissimam ad præclaram docendi facultatem perveniēdi! 1. præpara, non solùm caput, sed & cor, 2. quære, scilicet summâ diligentiâ ac curâ (1) meditando, audiendo, docendo, discendo,libros evolvendo, & præcipuè precando. 3. Quid quærendum est? non Leges Civiles, non statuta humana, nec apinæ Scholasticæ: sed quærenda est lex Dei,in hâc perpetuò versemur.

Nocturnâ versate manu, versate diurnâ. Qui bonus velit fieri concionator, det operam ut sit bonus Biblicus; Scriptura enim est optimus interpres Scripturæ. 4. quo fine? primò ut faciamus legem Dei, dein ut doceamus. plus enim prosimus vitæ sanctitate, quàm doctrinâ: Simus itaque tanquam quoddam speculū in quo omnis virtutis imago videatur, ita simi-

contemptibiliter vivatis. Aug. V.pleniùs Trap.inHabbuc.3,17.& Mal.1,6. D. Gauden, Hieraspistes.Sect.32. p.58. Requiruntur ad hoc munus non tantùm communes omnibus verè Christianis virtutes, sed & quædam excellentiora, quantò ipsi supra plebem eminent. Grotius in 1. Tim.3,1. Omne in bono Pastore prædicat. Luther. Bonus Textualis, bonus Theologus. V. Bowls Past. Evan. l. 1. c.12.

Similes erimus Ezræ (1) Scribæ edocti ad regnum cælorum. Imò si fecerimus & docuerimus, magni vocabimur (teste Christo) in regno cælorum. Matth.5,19. Talis fuit S.Basilius, cui tonitru in verbis, fulgur in vita.

Ille prędicat vivâ voce, qui prædicat vitâ & Voce: Vitam doctrinâ, doctrinā vitâ comprobans. Nazianz.

Βροντὴ σεῖο λόγος, ἀστεροπὴ τε βίος.

Quare oportet Pastorem non solùm ὀρθοτομεῖν, (1) rectè secare, dividere & distribuere verbum Dei. 2. Tim.2,15. Sed & ὀρθοποδεῖν, (1) recto pede incedere, neque ad dextram vel sinistram deflectere. Gal.2,14. Sint omnes Nazaræi nostri candidiores nive. Thren.4,7. instar Absoloni qui pulcherrim9 fuit in toto Israel, cui à planta pedis, usque ad verticem capitis nulla fuit macula. 2.Sam.14,25. Maculas enim habentes arcebantur à sacerdotio in V.T. (1) mutili, manci, strabi, &c. Levit.21,17. multo magis in novo, flagitiosi, & improbi, scortatores, aleatores, mercatores, &c. Quapropter doceat omnis Doctor verbis & factis voce & vitâ. Loqui facile, difficile perficere, facile est docere verbis, at vitâ docere optimum est docendi genus: non enim sic insident animæ verba, ut opera. Dux ille qui fortiter pugnat (licet taceat) milites tamen pugnare docet. Proinde mandat Apostolus, ut simus ἀμωμοὶ, [Tit. 1,6.] (1) inculpati, irreprehensibiles, sine scan-

Ita Moses fuit potens verbis & operibus. Act.7,22.

Orator sit vir bonus dicendi peritus. Quintil Instit.l.12.c.1.p.527.ubi plura.

V. Pleniùs Sheffeild. de consciēt. c.25.p.387. &c. ☞

Ornamus Ministeriū non cultu vestium, nō equorum fastu, non amplis ædificiis; sed ornatis moribus, studiis spiritualibus & operibus bonis Bern.

ſcandalis, & ſine querela, licèt non ſine peccato. uti Samuel, Jeremia, Daniel, Paulus, Zacharias. 1. Sam. 12, 3. Jer. 15, 10. Dan. 6, 5. Actor. 20, 33. & 23, 1. Luc. 1, 6. & Bucerus, Bradfordus, Latimerus, Hooperus, &c. ita ut mali nihil mali de nobis malè loqui ſine mendacio poſſint. Tit. 2, 8. ille enim verè inculpatus eſt, non qui nunquam ſit culpatus à malevolis, ſed qui jure culpari nequeat. Nec requirit Apoſtolus tales homines qui prorſus ſint alieni ab omni peccato, hi Angeli ſunt, non homines, & in hac vita nequaquam reperiantur. Multi enim ſine crimine & ſine querela, & nemo ſine peccato. ut rectè Auguſtinus.

ἀνέγκλητος. (1) qui juſtè accuſari non poteſt. Aret.

2. Paſcat Miniſterialiter, nempe Voce & ſanâ doctrinâ. Scripturarum nuda lectio nō ſufficit ad ſalutem; habet enim neſcio quid latentis ἐνεργίας viva vox, & in aures diſcipuli ab authoris ore transfuſa fortiùs ſonat, & altiùs animo ſubſidit. Geſtet itáque in pectus Urim & Thummim (1) ſplendorem doctrinæ, & integritatem vitæ. Servus Domini debet eſſe * διδακτικός (1) ad docendum aptus, promptus & propenſus ad ea quæ tenet animo, aliis communicandum. Hoc eſt primarium Epiſcopi officium vel Concilio * Tridentino teſte.

Innocens abſq; ſermone quãtum exemplo prodeſt, tantùm ſilentio nocet: nam latratu canũ, & baculo paſtorum lupi ſunt arcendi. Leo.

* Plus eſt quàm doctum eſſe, ſunt enim pleriq; docti, ſed quibus aut Voluntas, aut facultas deſit docendi. Eſtius.

Qui non paſcit, non amat. Greg.

fugiſti, quia tacuiſti. Aug.

* Seſſ 24. c. 4.

Clamant greges pascite, clamat Deus & Christus noster, si amatis fratres vestros, si nomen meum, si animas vestras; Pascite. D. Harris.

Proinde Paulus jamjam moriturus Timotheum adjurat ut Evangelium instanter prædicet opportunè & importunè. 2. Tim. 4, 1. 2. & ut primùm Se, deinde alios doceat. 1. Tim. 4, 13. attende tibi, ut actiones & mores tuos juxta normam divinam componas; deinde doctrinæ, ut alios erudias. Nam Speculatores cæci & canes muti sunt animalia pessima [Isa. 56, 10.] cùm canis sit excubias agere, latrare, & latratu latrones abigere, nec eos in ovile ingredi pati, quòdsi mutus sit aut naturâ aut morbo, aut offâ à fure in ejus os injectâ, omninò inutilis est. Ita doctor avarus, superbus, luxuriosus, os habet oppilatum eodem scelere quod redarguere debuit; nam quâ fronte latrabit in avaros avarus ipse? &c.

Quis in arce Civitatis ad custodiam collocaret cæcum mutúmve. Clemang.

Sacerdos ingrediens Sanctuariū sine sonitu prædicationis moritur Greg. Exod. 28, 33. 34.

3. Diligenter & studiosè in vinea Domini laborandum est: à nobis enim à nobis inquam mater Ecclesia sperat opem; succurramus itaq; & pro virili adnitamur, scandala avertere, dissidia evertere, * hæreses contundere, scelera debellare, nec non regnum Satanæ radicitùs extirpare. Instemus tempestivè & intempestivè, εὐκαίρως (1) quando ultrò sese offert occasio; & ἀκαίρως, cùm carni nonnulla videntur incommoda & pericula instare. Diligentia cùm in omnibus rebus plurimùm valet

* Veritas in profundo est, & disputatione elicitur.

Templo virtutis & la-

valet, (multos enim ditat. Prov. 10, 4. & ad honorem elevat. Proverb. 22, 29.) tum præcipuè in Ministerio & animarum regimine, quod est ars artium, & maximam exigit perfectionem, exercitationem, unctionem & discretionem: nonnulli enim sunt duri & indociles, alii infirmi, alii tardi, alii protervi, multi ingrati, &c.

Invigilemus itáq; & durescamus, omninò fallitur qui ad hãc provinciam obeundam se accingit, nisi pariter ad certandum animo heroico & invicto sit paratus: nulli enim sunt quibus magis instet Satan, nulli qui acriùs impetantur, qui plures aut graviores sustineant insultus quàm sancti & seduli Ecclesiæ antesignani, quos destinavit Deus non deliciis & voluptatibus, sed odiis & opprobriis mundi. juxta illud: Rom. 8, 36. propter te mactamur totâ die, & addicti morti. 1. Cor. 4, 13. & quòd nostram magis acuat industriam, En Satanæ & mastigiarum ejus indefessam diligentiam! ingenti furore perciti sunt, & ipsi diaboli pejoribus diabolis, in hac mundi decrepita senectute, possideri videntur: nullum non movent lapidem, quàm studiosissimè omnes intendunt nervos, clam, palam, *Arte*, *Marte*, ut quam plurimos secum trahant in Gehennam. Quæ hæresium zizania, offendiculorum saxa, & dissidiorum semina non serunt? mare & ari-

boris olim patebat aditus ad Templum Honoris.

Perspicacem esse oportet in omnibus Sacerdotem, & mille (ut ajunt) ex omni parte oculos habentem, quippe qui non solùm sibi, sed etiã populo vivit Chrysost.

dam, (1) totum circumeunt orbem, ut vel unum lucrantur proselytum. Matth. 23, 15. tales furibundi Zelitæ sunt Jesuitæ, quos Vates his versibus depinxit.

Impiger extremos Jesuita excurrit ad Indos
Per mare discipulum quærens, per saxa, per ignes:
Inventúmq; facit se duplo deteriorem.

Discamus vel à magno mundi Peripatetico qui continuò circumit & perambulat terram, ut homines suis artibus & retibus implicet, irretiat, decipiat. Proinde insignis ille Martyr Latimerus, cum Episcopos ad diligentiam hortaretur, dixit, quod si nolint Sanctorum, Prophetarum, Apostolorum & præcipuè Christi exemplum imitari; saltem se Diaboli exemplo commoveri patiantur: ille enim quàm diligentissimè visitat, & assiduè docet, movet, incitat asseclas suos. Imò vel Oceanus perpetuò æstuat, circumvolvuntur perenni motu cœli, nec non Sol ille magnus vicissitudinum Moderator ab iisdem semper ad eosdem carceres indefessâ lampade recurrit: quòd si surda & ratione carentia corpora tot motus tam constanter perficiant; num Ecclesiæ coryphæi, inertiâ & hebetudine fracti defetiscentur? Ignavi certè, in quacunque vocatione, sunt

ſunt Deo exoſi, & præcipuè in S. Miniſterio. Maledictus eſt qui facit hoc opus Jehovæ fraudulenter.

Si Verbi Miniſter es, hoc age. Paſtoris enim vita, non eſt otioſa & delicatula vita; conducti ſumus ad operandum in Vinea, Num. 8, 24. non ad ludendum; valdè itáque dedecet Miniſtros Chriſti eſſe Aleatores, Venatores, Mercatores, Milites, Agricolas, &c. nam ſi iniquum eſt eos Prædicationem verbi derelinquere, ut miniſtrent menſis; Act. 6, 2. multo iniquius eſt Sermonem Dei derelinquere, ut vacemus heterogeneis. Beneficium ſanè datur, at propter officium; debetur merces, ſed operariis; duplici honore ſunt digni, ſed qui laborant. Non eſt itáq; (mihi credite) hoc quod gerimus inertis otii munus, ſed provincia laboris plena; cujus ſplendore ſolicitudo, cujus meſſe ſudor major ſemper fuit. Scitote (inquit Auguſtinus) Epiſcopum nomen eſſe operis, non Honoris, & illos eſſe Epiſcopos qui velint Prodeſſe, non Præeſſe. Hoc nomine Miniſterium noſtrum vocatur. 1. Ἔργον, opus, non opes; onus, non honos; labor, non ludus. ut videre eſt. 1. Tim. 3, 1. & 2, 4. 5. Act. 15, 38. 1. Cor. 3, 13. Epheſ. 4, 12. Phil. 1, 22. 1. Theſſ. 5, 13.

Cùm amici Calvinum admonuiſſent, ne cū tanto Valetudinis diſpendio, aſſiduus & accubuus chartis impalleſceret; Quid? vultis [indignabundus reſpondet] ut Dominus veniens me otioſum inveniret? Beza.

Chriſtus Eccleſiam ſuam non auro & argento, ſed proprio ſanguine acquiſivit; hoc pretium pretioſiſſimū maximam efflagitat Paſtorum curam & cuſtodiam. Act. 20, 28.

οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Non oportet virum conſiliarium totam dormire noctem: quia ἐν νυκτὶ βουλή. ut eſt in Proverbio. Hom. Iliad. ☞

Κόπος, notat studium synce-rum & indefessum in prædicando, ut pote sudore & molestiis plenum, Paræus.

2. Nec est opus facile, sed difficile, nō est enim πόνος, sed κόπος (1) opus laboriosum usq; ad defatigationem, vel vires frāgens. Joh. 4, 38. 1. Cor. 3, 8. & 2, 10. 15. Gal. 4, 11. 1. Thess. 3, 5. & 5. 12. 1. Tim. 5, 17.

3. Nuncupatur μόχθος, (1) labor qui difficultatem habet adjunctam. 2. Cor. 11, 27. 1. Thess. 2, 9. & 2, 3. 8.

4. σπουδὴ, cura & vehemens studium, 2. Cor. 7, 12.

Non solùm in cætu Ecclesiastico statis temporibus docet, sed & noctes ac dies sollicitus vigilat, ne quid damni accipiat grex Domini fidei suæ commissus. Muscul.

5. Nec σπουδὴ tantùm, sed & μέριμνα (1) cura sollicita quæ mentem distrahit. 2. Cor. 11, 28. Phil. 2, 20. 1. Tim. 3, 5.

6. Est opus tale quod totum requirit hominem, proinde jubemur ἐπιμένειν & ἐν τούτοις εἶναι. in his esse & permanere. 1. Tim. 4, 15. 16. q. d. hæc tua sit praxis, meditatio, occupatio, cura & solicitudo tua. ita Rom. 12, 7. cui commissum est ministerium, versetur *in eo*. & jubemur προσκαρτερεῖν (1) vehementer & assiduè incumbere rei alicui difficili ac laboriosæ. Actor. 6, 4. & πληρῶμέναι, adimplere & plenè perficere ministerium suum. Act. 12, 25. & 14, 26. 2. Tim. 4, 5. Col. 4, 17. ideóq; nuncupamur Pastores, Milites, Operarii, Agricolæ, &c. quæ summam denotant diligentiam. ut anteà ostensum est.

V. Plura apud Trap. in Zach. 13, 5.

Nec desunt exempla. *Moses* fidelis fuit in tota Dei domo (1) in jussis & oraculis po-

populo Dei annuntiandis, in cura & regimine Ecclesiæ juxta mentem & voluntatem Dei. Heb.3, 2. Prophetæ surrexerunt manè ut populo prædicaret oracula Dei 2.Chr.36,15. Jer.7,25. Christus ipse non semel vel iterum, sed frequenter docuit in Synagogis, idque κατὰ τὸ ἔθος (1) juxta consuetudinem suam, Luc.4,16. fuit διδάσκων, docens (1) continuò pro re natâ docens; diem dabat prædicationi, noctem verò orationi. Luc. 21,37. Ecce *Pauli* indefessam diligentiam! 2. Cor. 11. 23. ad 29. Act. 5, 42. multa tulit fecitque sudavit & alsit. Quot civitates, quot regiones, Evangelii luce illustrabat? vid. Jerusalem, Illyricum, [Rom. 15, 19. ] Arabiam, Damascum, Antiochiam, Seleuciam, Cyprum, Pamphyliam, Pisidiam, Lycaoniam, Syriam, Ciliciam, Phrygiam, Galatiam, Mysiam, Troadem, Achaiam, Epirum cum aliis. Refert Melch. Adamus *de Farello*, quod nullis difficultatibus fractus, nullis minis, conviciis, verberibus denique inflictis territus, Mompelgardenses, Aquilenses, Lansannenses, Genevenses, Novocomenses Christo lucrifecit. Mirandum est quod narratur de selectissimo illo Dei organo, *Calvino*. vid. eum ducentas octoginta sex conciones quotannis habuisse ad populum; Lectiones verò, centum & octoginta sex,

Tempore matutino, quòd audiēdo verbo accommodatius, Prophetas misit Deus. Oecolampad.

Tractus ferè longissimus; Si per rectâ lineâ prædicâsset Apostolus, implevisset milliaria circiter.350. cōstat verò, quod non rectâ lineâ perrexerit, sed ad latera omnes Asiæ regiones peragraverit. Par.29.

V. Plenius, D. Clerke, Mirrour. cap.59.

præter innumeras quas conſcripſit Epiſtolas de apicibus Theologicis. Quin etiam, quoties occurrunt in Chryſoſtomo, χθὲς καὶ σήμερον. Heri & Hodie. Etſi heri de hac re locutus ſum, tamen Hodie non deſiſtam, neque cras, neque perendie eadem perſuadere, dixit Chryſoſtomus. Patres antiqui chartis impalleſcebant, minima pars eorum vitæ ſomno, parum cibo, nulla otio data fuit. Origeni nulla pars ætatis periit à ſtudiis. Contundamus itaque & corpus noſtrum, vigiliis, jejuniis, labore, crucis tolerantiâ, carnis mortificatione, à mundanis voluptatibus & incentivis ad vitia abſtinētiâ; quod ſi carni indulgeamus horribili tandem tyrannide nos opprimet. 1. Cor. 9, 27. Dies brevis eſt, opus multum, merçes maxima. Contemplemur bravium, & ut laborem alacriter perferamus, Amemus, Amanti enim nil difficile, ſed currit, volat, ſuperat omnia. Cant. 8, 6. 7. 2. Cor. 5, 14. Gen. 29, 20. Petrus qui Chriſtum diligit, Paſcit, Paſcit, Paſcit. Joh. 21, 15. (1) Voce, Vita, & calamo. Zacharias cum loqui non potuit, ſcripſit; latior enim eſt Pennæ quàm linguæ vox, quippe literis cum longè abſentibus colloqui poſſumus, & his, mortui adhuc loquuntur. [V. Phil. Goodvvin. in præfat. ante Religionem Domeſticam.

Experimur ſtrenuos cōcionatores, qui plus cōcionantur, eo plus verbis Spirituque abundare, inſtar fōtium è quibus quantū aquæ effluit tantundem aliunde rurſum affluit. à Lap. in Matth. 13, 12

Paſce, non mulge vel tonde ſemel additum eſt Bern.

V. Pleniùs. Baxter, Saint Reſt. p. 3. c. 14. S. 7. p. 320. & Wall none but Chriſto ch. 32.

4. Au-

4. Audacter & liberè. plenâ animi fiduciâ & spiritu intrepido officii nostri partes perficiamus; jacta nobis sit alea, & navem ventis committamus, quippe necesse est ut navigemus, non ut vivamus; ut Heroicè Cæsar. Nam qui mundanorum odia & opprobria nimiùm pertimescunt, labascent citò : requiritur itaque παῤῥησία quædam ac πληροφορία per quam pericula & profanorum contemptus contemnantur. Sicut decet Imperatorem stantem mori; ita decet Pastorem, patientem & laborantem; Sustinentem & Abstinentem; Precantem & Prædicantem emori: imò dira & dura omnia amore Christi alacriter subire. Hoc est enim verè κακοπαθεῖν, [2.Tim.2,3.] (1) mala sustinere, injurias quasvis pro Evangelio perferre, & cor contra insanorum sannas obdurare. Instar Christi, qui posuit faciem suam ut petram durissimam, quia auxiliator ejus Deus. Isa.50,7. proinde stat immotus & invictus in summis angustiis & periculis, quasi rupes, ad quã allisi fluctus dissiliunt & in spumam abeunt; vel quasi saxum adamantinum, quod ferro & malleis non frangitur, sed ipsosmet se tundentes diffringit. fugiant itaq; paveant, perhorrescant alii; certandum & pugnandum est nobis usque ad mortem. Exemplari sit nobis ille Bias, qui in-

Est Legatus Dei, proinde loquatur imperterritè quod in mandatis habet. Osiander.

Prima virtus Ministri est contemnere & contemni.

Plutarch. Lacon. Apoptheg. §. 47.

sidiis circumventus ab Iphicrate Atheniensium duce, militibus interrogantibus quid faciendum foret, quid aliud, inquit, quam ut vos vestræ saluti consulatis; Ego pugnans moriar. Alloquitur nos Christus ut Alexander Alexandrum, aut fortiter pugna, aut nomen depone: aut Ministerium tuum strenuè perage, aut ne sis Minister. Pastoris enim primarium est munus, armis spiritualibus regnum Satanæ demoliri & pessundare; at hoc efficere non possumus, palpando & placentia canendo, sed hâc παῤῥησίᾳ & loquendi libertate, quâ hæreses, errores & peccata regnantia, præcipuè quæ vastant consciẽtiam, tam in maximis quàm in minimis liberè, prudenter & audacter reprehendimus, sine ulla προσωποληψίᾳ. nostrum enim est omnes, imò vel reges ipsos de peccatis suis arguere.

Vivacitate doctrinæ, & acrimoniâ correptionis crescit & paratur authoritas. Bulling.

V. Pleniùs. Trap. in Malach. 2, 6. 9.

Fidelis pastor est instar speculi nitidissimi quod nemini adulatur, sed personas & figuras reddit tales, quales accepit.

———— Nullo discrimine agendum
Tros fuerit Tyriusve.

Ita Nathan reprehendit Regem David, Elyah Ahab, Elisha Jehorã. Hosea. [5, 1.] domum regis, Johannes B. Herodem Antipam, Christus redarguit eundem regẽ, Paulus Felicẽ, Chrysostomus Eudoxum, & Ambrosius Theodosium Imperatorẽ, quem à sacris repulsit propter cædem temerè illatam Thessalonicæ. Audacter itaque constanter & liberè, vel principum vitia

Da plures Ambrosios, & multos habebimus Theodosios Proverb.

vitia redarguamus, &
☞ Facimus majoris abollæ.
Juven. Sat.3.

Pudore non vincamur, nec metu taceam9 aut pallescamus, nullius potentiam aut invidiam formidemus, sed honestâ quadâm inverecundiâ veritatem annuntiemus; scientes, nos esse Dei Ministros & Legatos, ab eoque agi, regi & protegi, ut videre est. Isa.42,6.& 50,7. Jer.1,8.17. 18.19. & 20,11. Ezech. 3,8.9. Non deseret suos Dominus, quos novit in his ultimis & pessimis temporibus nisi à se adjutos, in officio perdurare non posse. proinde iis præcepit ut fortiter se gerant contra maledicorum minas, & malorum calumnias, licèt spinis acriores, & scorpionibus virulentiores. Ezech.2,6. omnis enim timidus (præsertim in causa Dei) est homicida. πᾶν δειλὸν φονικόν. Aristot.

Lutherum, non Cæsares, non Reges, non fulmina ex Tarpeia vibrata, non ullæ innumerabilium Sophistarum phalanges, vel tantillùm terruerunt. Beza.

5. Amanter. Amoris saccharo condiantur omnia 1.Cor.16,14. Preces, conciones, objurgationes, exhortationes &c. ex hoc fonte profluant. Ignis zeli, oleo misericordiæ ardeat. Jerem. 13,17. Luc.19,41. Philip. 3,19. Ita bonus Samaritanus vinũ cum oleo vulneribus infundit, ut per vinum vulnera mordeantur, foveantur per oleum. Si quando severitate opus est, imitemur chirurgos, qui dum secant & urunt, fovent infirmum, & ea quæ faciunt

Sit gladius quo vitia seces melle litus. Prov.

Vt ameris amabilis esto.

Charitas amara, est veritas invisa: Sit itaq; mansuetus & placidus, qui malos toleret & erudiat. Marlorat.

ciunt ad ſalutem ipſius conducere oſtendunt. Non enim licèt cuiquam reprehendere, niſi ei qui diligit, ut reprehenſio ſit cum lenitate, ad ædificationem & inſtaurationem ejus qui reprehenditur, & non ad ruinam. Proinde acrimoniam noſtram vult Apoſtolus lenitate temperatam eſſe. [2.Tim.4,2.24.] ne tarditati & duritiei ejus quem docemus, iraſcamur. Neminem itaque faſtu noſtro & ſeveritate ſupercilios â gravemus, ſed comitate, lenitate & morum ſuavitate alliciamus, nobisq; devinciamus; ita quocunque volemus flectemus eos, vitamq; cum illis agemus tum utiliſſimam, tum ſuaviſſimam. Dilige (dixit Auguſt.) & dic quod voles; imò dilige, & fac quod voles. Ut Orator non ſolùm prudentiâ, ſed & bonitate & benevolentiâ debet eſſe imbutus; ita & Concionator: multum enim intereſt ad fidem faciendam (ut rectè notavit * Philoſophus) ſi auditores exiſtiment, Oratorem erga ipſos benè ſe habere. Proinde ſana & ſapida fuit illa Calvini ad Farellum admonitio. nempe, ut ſe populo magis accommodaret, non adulatoriè, ſed cum moderatione & æquitate animos eorum alliciens, ut ſe illi dociles præberent. Paſcamus itaque gregem Chriſti, non δεσποτικῶς & imperioſè, nedum τυραννικῶς & rigidè; ſed πατρικῶς, graviter, placidè,

Acres & ſeveri homines ut plurimùm tolerare nequeunt eorum quibuscum agunt, duritiem, nec multa tædia & indignitates devorare ſuſtinent, quæ tamen concoquenda nobis ſunt, ſi prodeſſe cupimus. Calvin.

* Ariſtot. Rhetor. l.2. c.1.& 3.

Gravitas ejuſmodi ſit non quæ à Paſtoris aditu homines arceat, ſed

cidè, mansuetè, & paternâ quadam benevolentiâ & affectu: amari potiùs quàm metui studentes. Rem acu tetigit Laurentius [in 1. Petr. 5,3.] Pastor quisque providè ac prudenter regat Ecclesiam, non rigore potestatis, sed Spiritu lenitatis, neque semper & in omnibus & erga omnes potestate & authoritate sua, ut quidem possent summo jure agentes, sed aliquando de suo jure nonnihil remittentes, uti plus semel se fecisse testatur Paulus. 1. Cor. 9,12. & 2, 13.2. & 2. Thes. 3,9. imitemur 1. Basilium qui mansuetudine fuit magnes, patientiâ & constantiâ adamas.

quæ ad omnem reverentiam cõponat, adeũtes. Boules. Past. Evang. l. 1. c. 2, 4. 21. & l. 2. c. 14. ubi plura & Sibbs com. 1 in 2. Cor, 1, 23. ☞

6. Ardenter & zelosè, non fraudulenter & frigidè. Clamemus & quasi tuba exaltemus vocem, quia ad mortuos & lapides loquimur. Patrem lucis obtestemur, ut os nostrum carbone ignito attingat, ut nil nisi purum, divinum, cæleste labia spirent nostra: ut ardentes & lucentes lucernæ simus, ardentes in nobis zelo, fide & dilectione; deinde lucentes aliis verbis & factis. Ut carbones & Lampades simus, carbones nobismet ipsis, Lampades gregi. Joh. 5,35. Proinde primitivis doctoribus dedit Christus linguas, non carneas, sed igneas, ut iisdẽ ardenter eloquerentur, & audientium corda accenderent. Act. 2,3. Insigne fuit illud Lutheri elogium.

Ardeat Orator qui vult accendere plebem. Tres sunt Pastoris voces. Mitis, dulcis, & alta. Mitis ad infirmum, ad morientem dulcis ad surdum alta. Hugo Cardin. Ardens corde, lucens voce; ardẽs more, lucẽs amore. Clemang.

Quic-

Melch. Adam in Vit. Luth. mihi. p. 170.

Quicquid dicit Lutherus, quicquid scribit, id in animos penetrat, & mirificos relinquit aculeos in auditorum cordibus.

Malim ut pereat totus mundus quàm mica veritatis, non enim sumus verbi interpretes tantùm, sed & vindices Luther.

Immodicus zelus præstat frigiditatem, quia est error amoris, licèt non amor erroris.

Imitemur Salvatorem nostrum, quem zelus, fervor, ardensque studium ad gloriam Dei promovendam consumpsit & absorbuit. Imitemur Elijam, qui zelando zelavit (i) vehementer zelo affectus, fuit totus igneus, ideoque curru igneo in cælum raptus est. Imitemur Elisham, Isaiam, Jeremiam [20, 9.] Johannem B. & Paulum, Gal.2, 11.12, qui igne charitatis accensi, ignitis sermonibus frigida auditorum corda urebant. Nobis sit ignea mens, ignea lingua, ignea manus, ut à vitiis ad virtutes perducamus homines. Lac infantibus, solidiorem cibum robustioribus distribuamus; nihil quod ad salutem gregis conducat socordiâ omittamus.

* A radice Saraph. accendit, ussit.

Imitemur denique *Seraphinos, qui ardẽtes zelo agillimi paratissimique sunt ad quodcunque Dei mandatum peragendum; nec duas tantùm, sed instar illorum sex habeamus alas, quibus sursum, deorsum, antrorsùm, retrorsùm, dextrorsum, sinistrorsum, quàm celerrimè moveri ac volare possimus, Isa.6,2. Uti Angeli qui Evangelium æternum annuntiant, non repunt, nec ambulant, sed pernicibus alis alacriter volant per medium cæli. Apoc. 14, 6.

V. Plenius. Ward Coa-lesum the Altar. p. 290. &c. Pastor. Evan l.1.c.21.

7. Pu-

7. Purè, sine subdolis & superstitiosis commentis verbum Dei est dispensandum. De Deo nil sine Deo. In dubiis semper recurrendum est ad Legem & Testimonium ejus. Isa 8, 20. hoc enim non est Apollinis aut Dæmonis oraculum, sed verum & vivum viventis Dei oraculũ. Ideoque Moses è monte rediens referebat populo, non sua, sed Dei mandata. Exod. 19,3.7.8. Hoc Christus præscripsit Apostolis suis eorumque successoribus. Matt. 28,20. jubet eos docere, non Traditiones humanas, non propria somnia, sed ea omnia quæ præcepit ipse, vel immediatè quando fuit in terris, vel mediatè per Prophetas & Apostolos. Inde ipsi Apostoli ad Christi mandata sese alligârunt. 1. Cor. 11, 23. accepi à Domino quod vobis tradidi. ita 1. Thess. 4, 2. scitis quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jesum. q. d. præcepta quæ præcepi non mea sunt, sed Christi: Christus est Legislator, ego sum tantùm Christi Minister, & Legatus ejus. ita 1. Pet. 4, 11. si quis loquitur, loquatur velut eloquia Dei, (1) sit Doctor verbo Dei bene instructus, & tanquam ex ejus ore certa proferat oracula. Arandum non est cum bove verbi Dei, & asino Traditionum humanarum. Deut. 22, 10. Irascitur Deus, quando ponunt homines limen suum juxta limen ejus, & postes suos juxta postes ejꝰ. Ezech. 43, 8.

Digitized by Google

43, 8. Quid paleæ cum tritico? quid Pſeudo-Prophetiæ cum veritate Dei? Jer. 23, 28. hominum figmenta ſunt tanquam levis & inanis gluma, nullum præbens fructum, nullum ſpiritualem ſuccũ: at verbum Dei eſt inſtar tritici ſolidi quod cor lætificat, ſuſtentat, nutrit. Diſpenſatores ſumus myſteriorum DEI, non propugnatores figmentorum noſtrorum. Miniſtri, non Domini fidei Electorum. Doctrinam Apoſtolicam propagemus, novam non procudamus. Si nos aut Angelus de cælo aliud attulerit Evangelium, ſit Anathema Gal. 1, 8. Cultus itaque omnes humanitùs inventi, tanquam rancidi & fætidi repudientur; licèt enim ſe valdè acutos exiſtiment, qui ſuperſtitionib9 & ἐθελοθρησκεία cultum Dei polluunt, mera tamen eſt fatuitas, quia in omnibus hominum cerebris ne mica quidem Salis reperitur.

8. Planè. Quo clariùs, eò præclariùs; quo planius, eo meliùs. Ubi major eſt ἐνάργεια, ibi major eſt ἐνέργεια. Ille enim eſt optimus concionator, non qui aures tetigerit, ſed qui cor pupigerit. idque profitetur Paulus ſe malle quinque verba in lingua notâ & uſitatâ loqui, quã decem millia verborum in lingua peregrina. 1. Cor. 14, 19. Chriſtum crucifixum ſtylo crucifixo prædicemus; non perſuaſoriis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in demon-

Medicus nõ jucundior, ſed utilior eligitur, cui ſanitatis cauſâ concurritur, non voluptatis. Lipſius.

demonſtratione Spiritûs & potentiæ: non Rhetoricè, ſed Apoſtolicè ; non diſertia ſed fortia: ne dum ſublimia ſectemur in errorum ſcobem incidamus , & Hæreticorum laqueis irretiamur. Sit itaq; ſermo noſter ſimplex, perſpicuus, purus; non comptus, fucatus, affectatus, verborum phaleris & lenociniis exornatus: ita quaſi ignitæ ſagittæ erunt verba noſtra penetrantes corda; & quaſi mallei conterentes duriſſimam Petram. Brevi, quos ſalvat Chriſtus, hos per ſtultitiam prædicationis ſalvat.

Non minor eſt Virtus populariter, quàm argutè loqui: hinc Auguſtinus ad barbariſmū ſæpè deflexit, ut ab omnibus intelligeretur.

V. Plenius. Pemble Vind. Grat. in fol. p. 11.
Baxter Saints Reſt. P. 3. ch. 14. ſ. 8.
Trapp. in Mal. 2. 7. Wall. None but c. chapt. 31. & Senec. Epiſt. 100.

9. Plenè. Noſtrum eſt non aliqua tantùm, ſed omnia & ſola Chriſti mandata docere. Ne minima quidem particula Verbi Dei populo ejus eſt ſubtrahenda; ſed totum Dei conſilium abſq; ulla vel additione vel diminutione eſt annuntiandum. Act. 20, 27. ita ſiquis pereat, ſuâ culpâ peribit, non noſtrâ; nos enim officio noſtro fideliter perfuncti ſumus ſine fraude aut fuco, docendo, monendo, Precando &c. nec non omnia ad ſalutem neceſſaria explicando. Heroicum & magnanimū imitemur Michæam, qui palàm profitetur, ſe non dicturum quod palpantes aulici, ſed quod Jehova juſſerit. 1. Reg. 22, 14.

10. Sincerè & fideliter, non propriam quærentes gloriam aut quæstum, sed Dei. Phil.4,17. modò Christi authoritas, celebritas & gloria crescat, gaudendum est, licèt nostra decrescat & obscuretur. Joh.3, 30. Appetitus enim gloriæ peperit Hæreses; verè itaq; & sincerè viam Domini doceamus, ejusq; gloriam pro viribus promoveamus, nam honorantes eum, honorabit.

y. Plenius. D. ' cynold in Psal.110,2. p. 251.

Omnia pro Veritate, nihil ex tempore.

Præ omnibus sit Pastor Evangelicus ἀφιλάργυρος (1) alienus ab avaritia, non amans pecuniam, non dicit, non habens, sed non amans; non enim damnat pecuniam, sed amorem pecuniæ; quippe hoc mentem distrahit, & muneri sacro minùs aptam reddit, imò hospitalitatem & pauperum curam valdè impedit. Adde hoc quod milites Dei sumus, at nemo qui militat implicat se hujus vitæ negotiis. 2. Timoth.2,4. Indigni itaq; omninò sunt Ministrorum Christi nomine, qui non nisi lucellis & buccellis inhiant, & privata potiùs quàm publica Ecclesiæ commoda aucupantur. Est vitium quod malè audit apud omnes, dedecet omnes, præsertim Doctores, itaq; tales vocantur rabidi canes & insatiabiles. Isa. 56, 11. mendaces. Jer.5,31. mordaces. Micha.3,5. qui nomen Dei

Probè nota est moribundi Lutheri oratio Domine Deus, gratias ago tibi, quòd volueris me esse pauperem super terram & mendicum. Non habeo domum, agrum, possessiones, pecuniam, quæ relinquam. Tu dedisti mihi uxorem & filios; tibi reddo; nutri, doce, Serva, ut hactenus me. O Pater pupillorum & judex viduarum. Adam. in Vit. Luth.

Nemo probus est verbi Minister, qui non est pecuniæ contemptor. Calvin. in Act.20,33.

Digitized by Google

Dei polluunt & profanant pro pugillis hordei & frustillis panis (1) pro re tenuissima ac vilissima. Ezech. 13,19. hoc in Episcopis vocatur αἰσχροκερδία (1) turpe lucrum, quia turpiter, avarè, adulatoriè, & sordidâ negotiatione cum dignitatis Ministerii dispendio acquiritur. Hoc sæpè damnat Apostolus. 1. Tim. 3,3. Tit. 1,7.11. 1. Pet. 5,3. Minimè itaq; probamus Ministrorum quorundam præposteram victûs comparandi rationem, qui majorem alendi pecorum & colendorum agrorum, quàm studiorum ac promovendæ auditorum salutis curam suscipiunt; hos rectiùs Pastores armentorum, quàm Pastores Ecclesiæ dixeris. Non quod absolutè & Simpliciter improbamus, Ecclesiæ Ministrũ (modò absq; officio & studiorum jactura fiat) aliquam rei familiaris curam habere; quæ in alendis armentis & colendis agris sit occupata. At primariò attendat sibi & doctrinæ, nec de victu & amictu sollicitè & anxiè laboret, quia Deus ipse est hæreditas nostra, ille nobis erit arva, vineta, oliveta, segetes, ager simul & fructus. nec Christus servis suis aliquid deesse patietur. Luc. 22,35. Væ itaq; fucis illis qui non pascunt, sed depascunt gregem, hos jaculo suo ferit & configit Propheta. Ezech. 34,2.3. &c. nostrum enim est, nõ lucrum ex ovibus, sed ovium salutem quære-

V. Plemus: Pastor. Evang. l. 1. c. 7. p. 44. & Waterhous, Apolog. p. 158. Baxter Saint Rest. p. 1. c. 7. s. 2. p. 91. 92.

Negotiatorem Clericũ, & ex inopi divitem, ex ignobili gloriosũ, quasi quandam *Pestem* fuge. Hieron.

Major inest illis Nummi quàm Numinis ardor, Divini & nummos numinis instar amant.

Diligis me plusquàm

 rere.

tua, plusquã tuos, plusquam te. Bern.

rere. 2. Cor. 12, 14. non quæro quæ vestra sunt, sed Vos, nam constituti sumus Piscatores hominum, non Pecuniarum. Proinde Ministri Ecclesiæ (ut acutè Aquinas) majorem curam debent habere Spiritualium bonorum in populo promovendorum, quàm temporalium colligendorum. ideóq; Apostolus noluit uti potestate sibi à Domino traditâ, ut acciperet stipendia ab his quibus Evangelium prædicabat, ne daretur aliquod impedimentum Evangelio Christi: Similiter Ministri decimas non requirant, ubi sine scandalo reverà dato requiri nõ possent, &c. Ingenuè confitebatur Scotiæ lumen Rollocus, se ex omnibus suis stipendiis non coacervâsse obolos duos, nunquam enim sibi cordi aut curæ mundana hæc. Itidem Calvinus (illustris ille vir, & nunquam sine summâ honoris præfatione nominandus) accumulandis opibus nunquam studuit; nam ejus bona omnia (carè etiam divendita ipsius Bibliotheca) vix trecentos aureos æquârunt. de se solebat dicere, me non esse pecuniosum, si quibusdam vivus non persuadeo, mors tamen ostendet.

Aquinas 22. q. 87. art. 1.

Animi magni & excelsi est, ea contẽnere quæ admirantur vulgi. Cicero.

Nihil efficaciùs auditores pertrahit, quàm quando vident Doctores nihil præterquã ipsorum salutem, nec ipsorum bona, sed ipsos quærere. Calvin.

Melch. Adã in Vit. Calvini.

Postremò, His omnibus addendum est Orationem pro nobismetipsis, & pro * grege. nam præter lectionem assiduam, orationem & Tentationem necessariam esse ad verum Theologum accuratè for-

* V. Bowles Past. Evang. l. 3. c. 6.

Orationi lectio, lectio-



Digitized by Google

mandum, dixit Lutherus. Sit itáq; manus ad clavum, oculus ad cœlum : nam bene orasse, est bene studuisse, & perperam studet, qui frigidè & parcè orat.

ni succedat oratio. Aug. Oratio est optimus in bibliotheca nostra liber. Luther.

Motiva & incitamenta ad Pastorale munus fideliter obeundum, abundè suppeditabit. D. Bowles, in elaboratissimo illo Tract. videl. Pastor. Evangelico. lib.3. cap.9.

Ad umbilicum jam perduxi (favente Deo) hanc Apologiam de Legatorum Dei Utilitate & efficacia. Quid superest? nisi ut hæc ruminemus, in puro corde custodiamus, & toto vitæ nostræ curriculo mundo ostendamus : Ita Deo fuerimus Gloriæ, Ecclesiæ ornamento, Reip. munimento, amicis solamini, inimicis terrori, fomento bonis, aculeo pravis, &c.

Ἀφθάρτῳ τε μόνῳ πάντοτε δόξα Θεῷ.

*FINIS.*

Digitized by Google

*Succincta dissertationes duæ,*

Quarum prior est

# DE IUSTITIA CHRISTI ACTIVA,

*Altera,*

DE PRETIOSISSIMO ILLO PRIVILegio, veræ fidei adjuncto, & comite inseparabili,

*Videl. De perseverantia Sanctorum, quæ ventilata fuit Kenelvvorthiæ in Comitat. VVarrvvicens. Iun. 4. 1655. in Examine Candidatorum Theologiæ*

Rom. 5, 19. Per unius *obedientiam* justi constituentur multi.

Joh. 10, 27. 28. 29. Do ovibus meis vitam æternam, neque peribunt in æternum, neque quisquam rapiet eas è manibus meis; Pater enim qui dedit eas mihi, omnibus major est.

Nihil utilius quàm prædicare credentibus, impossibile esse, ut unquam â gratiâ excidant. Bucer in Johan. 6.

Ipse eos perseverare facit in bono, qui fecit bonos; qui autem cadunt & pereunt, in Prædestinatorum numero non fuerunt. August. de corrept. & grat. cap. 12.

Utile certè, plures libros à pluribus fieri etiã de quęstionibus iisdẽ, diverso stylo, non diversâ fide, ut ad plurimos res ipsa perveniat, ad alios sic, ad alios autem sic. August. lib. 1. de Trinit. cap. 30.

FRANCOFURTI,
Ex Officina SAMUELIS BROUN, Bibliop. Anglici.

ANNO M DC LVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

## Thesis. I.

### *Justitia Christi tàm Activa, quàm Passiva nobis imputatur in Justitiam.*

Inter dogmata ista pestifera quæ Ecclesiam Christi gravissimè exagitant, nulla extant capitaliora, quàm quæ peccatorum Justificationem coram Deo subvertunt: Hoc est enim Theologiæ caput, Salutis cardo, articulus stantis & cadentis Ecclesiæ; error in hoc fundamentali destruit structuram. *Diligenter itaq; (inquit Lutherus) articulus* Iu*stificationis est docendus & discendus; hoc enim amisso, nulli hæresi, nulla falsæ doctrina licèt ridiculæ & vana resistere poterimus; unde quotquot sunt in mundo qui hunc articulum non tenent, vel Judæi, vel Turcæ, vel Papistæ vel Hæretici sunt: quare hæc doctrina nunquam satis tractari & inculcari potest; ea jacente & pereunte, jacet & perit simul tota veritatis cognitio: eâ verò florente, florent omnia bona, religio, cultus verus, & gloria Dei.* Ità tamen fit, ut sicut Christus olim inter duos latrones, itidem hodierno die inter multos Errones crucifigitur. Primò inter Pon-

Hoc caput doctrinæ ex omnibus apud nos pro maximo & gravissimo capite habetur, ut in quo summa Evangelii posita est, & quo Christianismus fundatur, in quo pretiosus nobilissimusque thesaurus salutis æternæ, unica & viva consolatio divina comprehenditur. Conf. Bohem.

tificios, qui non verentur asserere, bona nostra opera esse meritoria, & formalem causam nostræ Justificationis; imò opera pænalia vel divinæ Justitiæ esse satisfactoria nec justitiam Christi nobis imputari in justitiam. Deinde inter Arminianos, qui τὸ credere, nobis imputari in justitiam, & Satisfactionem pro peccatis in *Solâ* Christi morte consistere contendunt. Imò verendum est (Proh dolor!) ne serpat inter Orthodoxos hic Arminianismi cancer; quo magis nobis est vigilandum, & cum Beræensibus diligentiùs inquirendum, ne dum subtilia sectemur, utilia amittamus.

Est hæc opinio merè umbratilis, κενὸς καὶ καινὸς, vana & nupera.

Sed ad rem, & ut eamus piscatum, (Piscator enim hujus controversiæ fuit coryphæus, ut videre est in suo comment: in *Matth. 20, 28. & in Rom. 4, 23.*) Christum satisfecisse divinæ justitiæ meritoriè, plenè, & integrè, tam agendo, quàm patiendo quicquid saluti nostræ fuit requisitum, nemo sanus negabit: at τὸ κρινόμενον & cardo controversiæ est de * materiali & meritoria causa nostræ justificationis & quibus in rebus hæc satisfactio consistat. Nonnulli contendunt, Christum satisfecisse pro peccatis nostris Passione *Solâ*; alii Christum ita satisfecisse, ut illi pro seipsis satisfaciant; Sociniani verò (homines perfrictæ frontis, & in quibus desideremus homines)

* Materia nostræ justificationis est Christi justitia, seu obedientia Legi pro nobis præstita. Wendelin. Theolog. l. 1 c. 25.

non

non verentur asserere, Christum nullo modo pro peccatis nostris Satisfecisse, ut videre est, in ista Hæresium sentina. vid. Catechis. Racov. qui Deitatem Christi & Spiritûs Sancti, Prædestinationem, Pædobaptismum, & Satisfactionem Christi omninò denegat; at Iustificationem ab operibus nostris, & liberum arbitrium à natura ad bonum strenuè propugnat, & cum *Ratione* insanit: Catechismus Vulcano certè, non vulgo committendus. Nos verò, vice versâ, cum Orthodoxis affirmamus, Justitiam Christi tam Activam quàm Passivam & obedientiam tam Vitæ ejus, quàm Mortis, nobis imputari in justitiam. Christus enim nobis natus & à Deo datus, legem divinam nostro nomine ac loco duobus modis implevit. vid. universali mandatorum Dei impletione; ac voluntariâ pænarum mortis primæ & secundæ, (quibus nos peccatores secundum comminationes Legales obnoxii eramus) persolutione: nam ut peccata plenè remittentur, utramque justitiã nobis imputari necesse est; Passivam, ut reatus pænæ tollatur; Activam, ut tegatur Culpa. Sicut in peccato, quod est condemnationis meritoria causa, duo sunt. vid. Violatio legis, & reatus pænæ: ita in justitia illâ quæ est causa meritoria Justificationis, duo sint oportet; vid. observatio legis

Christus justitiam acquisivit pro nobis toto obedientiæ suæ cursu Calvin. Inst. l. 2. c. 16. sect. 5.

Christus est justitia nostra duobus modis. 1. Effectivè, quia Justitiam in nobis efficit per sanctificationem. 2. Materialiter, q suam nobis imputat obedientiam. Wendelin. Theolog. l. 1. c. 25.

gis, quæ ejusdem opponatur violationi, & luitio pænæ, quæ opponatur ejusdem reatui; aliàs angustior esset justitia, quã prævaricatio. Utraque hæc legis impletio per Christum præstita, nunc Christi obediẽtia, nunc ipsius justitia appellatur; quam nonnulli dividunt in Activam & Passivam, quæ divisio non diversarum causarum, sed circumstantiarum respectu approbari debet: nulla etenim obedientia aut Justitia causæ respectu est Passiva sed tantùm Activa; ut acutè Bernardus, Christus in vita habuit actionem Passivam, & in morte passionem Activam. Ille itaque nostram personam sustinens toto vitæ suæ curriculo, tam agendo, quàm patiendo Legi Dei se pro nobis subjecit; eamq; perfectissimâ obedientiâ ab incarnatione usque ad mortem crucis implevit. Non est itaque hæc distributio, divisio generis in species, quasi duplex sit Christi obedientia, specie diversa; nam una incurrit in alteram, & una alteram complectitur: sed est ejusdem specie obedientiæ distinctio secundum diversa objecta & diversos actus; pro quorum duplicitate, duplex quasi nobis apparet. Nec hanc obedientiam ut merus homo (uti garriunt, seu potiùs blasphemant Sociniani) legi divinæ præstitit, verùm ut Imma-

Hæc justitia est unica numero, sed partes ejus duæ, perfectissima legis obedientia, & volũtaria pænæ persolutio. Polan V. plura apud Wolleb. l. 1: c. 30. Verè ac Propriè dicta justitia in actuali obedientia consistit. Deut. 6, 25. proinde in Christo fuit obedientia Vitæ & Mortis, seu obedientia ante mortem & in morte. Iunius in Thes 29. V. Pleniùs D. Ant. Burgess. de Iustif. P. 2. cõc. 34. p. 341. 342.

Immanuel, seu θεάνθρωπος, ac Deus in carne manifestatus; ita ut actio humanæ naturæ suam ἀξίωσιν meritique pondus infinitum à divina acceperit. Veruntamen non imus inficias, imò libenter concedimus, Passiones CHRISTI Satisfactorias fuisse pro peccatis nostris, liquet hoc, Primò ex Sacrificiis Veteris Testamenti, nam holocausta erant Sacrificia quæ tota comburebantur ad propitiationem peccatorum, quæ fuere Typi quòd Christus animâ & corpore iram Dei subiret, ut nos ab eâ liberaret. Deinde terminis terminantibus abundè testatur S. Scriptura, Christum pro nobis & peccatis nostris, maledictum, passum, mortuum esse; ut videre est. Isa. 53, 5.6.&c. vulneratus propter transgressiones *nostras, non suas*; fuit enim immaculatus ille agnus Dei, cujus sanguis pro nobis effunditur in remissionem peccatorum. Matth. 26, 28. ille redemit Ecclesiam proprio sanguine. Act. 20, 28. & ad Rom. 5, 9. Gal. 3, 13. Heb. 2, 14.15. & 9, 12. & 10. 10. 1. Pet. 1, 19. & 1, 3. 18. 1. Joh. 1, 7. Sanguis Jesu Christi purgat nos ab omni peccato. &c. Ex his locis colligunt nonnulli, nos *Solâ* (*μόνως καὶ ὅλως*) Christi passione fuisse redemptos; sed perperam; nam licèt scriptura nos ad mortem CHRISTI *Sæpè* revocet.

Christus nō modò satisfecit pro nobis subeūd. pœnam crucis sed & subeundo

ect, non tamen *Semper*; nam revocat nos ad totam Christi obedientiam & Satisfactionem, cujus altera pars consistit in Activa & habituali illa obedientiâ quâ Christus Legi perfectè obedivit; nam plena Satisfactio quæ pro aliis præstatur, requirit, ut omnia fiant quæ ab alio debentur; homo autem debuit Deo obedientiã perfectam legis, & pænas æternas propter peccata sua. Causæ verò cur ita crebrò Redemptionem nostram morti Christi ascribit S. Scriptura sunt in promptu. 1. quippe in morte Christi obedientia ejus tam Activa quàm Passiva maximè illuxit. Deinde, quòd mors Christi ad Resurrectionem & exaltationem ejus fuerit via, adeò ut sine eâ ad illa pervenire non potuerit. 3. Quòd ex omnibus quæ Christus nostræ salutis ergò fecerit, mors ejus potissimùm nobis Christi charitatem demonstrat. 4. Est in ejusmodi dictis Synecdoche partis pro toto, propter arctissimam Passionis & activæ justitiæ Christi unionem: proinde Justificatio nostra, Christi Resurrectioni (quæ & ipsa activa est) interdum tribuitur. Rom. 4. ult. quia Resurrectione suâ testatum fecit se morte suâ plenè pro omnibus nostris peccatis satisfecisse, quæ *Sola* morte Christi nunquam expiata fuissent, si mors in illo certamine victoriam reportâsset. Concedi-

onus legis, qui itaque Christi justitiam imputatam concedit quoad prius, concedere etiam debet quoad posterius Si enim prior illa pars sit satisfactoria loco pænæ quam nos sustinere debuimus & non sustinemus; posterior erit justificatoria loco perfectæ ejus obediẽtiæ quam nos præstare debuimꝰ & pręstitimꝰ Davenant. de Justitia Habituali. cap. 28 p. 370. &c.

Digitized by Google

tedimus itaque peccata nostra per mortem Christi esse expiata, at non per *Solam* mortem; Quod luculentissimis S. Scripturæ Testimoniis probatur.

1. Posset esse instar omnium Textus ille ἐμφατικώτατ☉, ad Rom. 5,19. Sicut per inobedientiam unius (scil. Adami) peccatores constituti sunt multi (1) omnes Adæ posteri ita per unius (scil. Christi) obedientiam justi constituentur multi. Unde sic argumentor, si Adami inobedientia actualis per naturam peccatores nos constituit; tum Christi actualis obedientia nos constituit justos, & per consequens, actualis Christi obedientia (quæ tam in agendo quàm in patiendo consistit) nobis imputatur in justitiam: Contrariorum enim contraria sunt consequentia. at verum est prius, ergò & posterius. Deinde, illud per Christum recuperamus, quod in Adamo amisimus; at amisimus actualem justitiam, ergo per Christum illam recuperamus.

Qualis sit Christi justitia ostēdit, cum vocat eam, obedientiam, ubi notemus quid nos afferre in cōspectum Dei oporteat, si velimus operibus justificari. vid. Legis obedientiam; nec unâ quidem aut alterâ parte, sed numeris omnibus absolutam. Calvin. in locum V. Pleniùs. Davenant. de Just. Hab. c. 38. p. 363. & Polā. Syntag. l. 6. c. 36.

Obj. Excipit Piscator, Obedientiæ nomine hîc intelligi *Solam* mortem & Passionem Christi.

Resp. Non est restringendum ubi lex nō restringit. at loquitur Apostolus universaliter & absolutè de obedientia Christi tam Activa quàm Passiva. Ergo non

est

est restringendus ad obedientiam aliquam singularem vel specialem, & passivam solùm.

* Opposita juxta se posita magis elucescunt.

2. Patet hoc ex contextu, scopo, & * Antithesi, quæ restrictionem illam omninò tollunt. nam sicut inobedientia Adami fuit totius legis actualis transgressio; ita è contrario obedientia Christi quæ inobedientiæ Adami opponitur, & quâ hæc aboletur, fuit totius legis observatio: aliter plus esset ἀνομίας in Adami inobedientia, quâm ἐννομίας in obedientia Christi; & per consequens, fructus & effectus, quem Christus obedientiâ suâ præstitit, angustior foret fructu & effectu inobedientiæ Adami; cui adversatur Apostolus. Rom. 5, 20. ubi abundavit peccatum, ibi superabundavit gratia. vid. Christi obedientiâ parta. Nam ut in Adami inobedientia duo fuerunt. vid. culpa (1) legis divinæ transgressio; & Reatus (1) condemnatio ad mortem : ita necesse est in Christi obedientia duo concurrere ad inobedientiæ illius abolitionem, vid. pænæ luitionem quâ tollatur reatus, & perfectam legis observantiam, quâ antegressa elueretur culpa.

3. Hæc obedientia nuncupatur justitia Christi. v. 18. δι' ἑνὸς δικαιώματος, per unius (scil. Christi) justitiam. &c. at

Sola

Digitized by Google

Sola Christi passio in S. Scripturis nunquam vocatur justitia Christi nam hoc * *δικαίωμα* omnia Dei mandata, ipsum deniq; jus divinum complectitur (ut rectè Beza) & justitiam illam denotat, quâ justi pronuntiemur & digni vitâ ex impleta in Christo à nobis omni justitiâ. Deinde, Justitia est perfecta totius legis impletio; at sola pœnarum passio non est perfecta legis impletio; nam si pati pœnas quas Lex peccatoribus comminatur, est perfectè legem implere; tum damnati in inferno perfectissimè legem implerent; & per consequens perfectissimi & justissimi essent. Sharpius, Cursus Theolog. de Iustificat.

* V. Plenius Ravanel in Verbo Iustificatio S.3. Δικαίωμα legis completur in nobis per Christi mortem & Vitam. Rolloc. Qui justificatur, justus constituitur: at nemo solâ passione pœnæ justus constituitur &c.

4. Patet ex vi & significatione vocabuli obedientiæ. quid est enim obedientia nisi *ἐννομία* & conformitas nostra cum lege Dei; at Lex non solùm pœnarum exigit luitionem, sed etiam Satisfactionem & sui postulat impletionem; nec ullam probat obedientiam nisi quæ utrumq; postulatum perfectè assequitur.

2. Argument. Quod Christus nobis ut Mediator præstitit, id Deus nobis in justitiam imputat: At activam obedientiam Christus pro nobis præstitit; ut patet Matth. 5, 17. non veni legem solvere sed implere. (1) implevit Christus Legem Moralem tum agendo, tum patiendo, dum in hoc mundo sanctè secundum legem Dei vixit; patri enim fuit in omnibus obedi-

Christus Legẽ implevit tam patiendo, quàm agendo, tum quia per eũ inchoatur in nobis obediẽntia Rolloc in Rom. 5, 21.

V.Plenius. D.Ant.Burgess, de Iustif. P. 2 concio 35. p. 356.

entissimus, & totius Legis observantissimus. Joh. 8, 29. q. d. Ideò natus sum & in mundum missus, non solùm ut legem Ceremonialem, vel peculiare quoddam mandatum tantùm adimplerem; sed ut Legi Morali me submittam, & quæ hominibus erat impossibilis, eam ego perfectè implcam. Ideóq; Christus nuncupatur in terminis, Jehova Zidkenu. Jer. 23, 6. & 33, 16. Jehova justitia nostra (1) author & effector justitiæ nostræ, qui nobis adduxit justitiam sempiternam. Dan. 9, 24. & à Deo ordinatus est, non solùm ut sit Redemptio nostra, sed & justitia nostra * *1. Cor. 1, 30. Vos estis in Christo qui factus est nobis à Deo justitia.* pauca sunt verba, sed valdè emphatica q. d. Christus est non solùm justus, sed & ipsa justitia. 2. est nostra justitia. 3. factus est à Deo in justitiam, unde patet, nos ejus nomine esse acceptos, quia morte suâ peccata nostra expiaverit, & ejus obedientia nobis in justitiam imputetur.

Christus in sua persona Legem Decalogi implevit, factus pro nobis sub Lege, &c & perfectissimâ obedientiâ seu impletione pro nobis satisfecit ad justitiam omni credenti. Chemnitius in Matth. 5, 17. Ius Legis nō modò pro nobis, sed etiã in nobis implet. Paræus in locum. ubi plura.

* V. Plenius. Davenant. de Iustitia Habit cap. 28. Arg. 5. Domine memorabo justitiæ tuæ solius, ipsa enim est mea, numquid mihi verendum est ne non una ambobus sufficiat? non est pallium breve, quod non potest operire duos.

Iustitia tuâ in æternum, & me & te pariter operiet, largiter larga, & æ-

Cautio. Non quòd Christi essentialis justitia (ut somniavit Osiander) sit inhærenter nostra: sed ratione affectus (1) obedientiæ & Passionis suæ, Christus est noster

ſter juſtificator & ſalvator, quia juſtitia ejus imputatur (licèt non inhæreat) nobis.

terna juſtitia, ut ſuaviter & elegāter. Bern.in Serm.61.in Cant.

Iuſtitia Chriſti eſt inhæſivè in illo, imputativè in nobis. Wolleb.

3. Arg. Chriſtus fuit Sponſor noſter. Hebr. 7, 22. non tantùm Salvator & Redemptor, ſed & Sponſor perfectiſſimus fideliſſimúſque; quia quæ nos non poteramus ipſe pro nobis præſtitit, ita ut in Chriſto legem præſtemus, & juſti nuncupemur. proinde ſic argumentor; Quod Spōſor noſter noſtro loco & vice præſtitit, id à Deo nobis imputatur; at Chriſtus noſtro loco & vice non modò ſubivit pœnam, ſed & implevit legem. Ergo utrúmq; à Deo nobis imputatur. Deinde, Satisfactio Juſtitiæ exigit ut quod nos debebamus à noſtro Sponſore, impleretur; at nos debebamus non tantùm pœnam pro peccato, ſed etiam obedientiam pro culpa. Quin etiam, Obedientia per quam coram Deo juſtificamur, debet eſſe obedientia perfecta (teſte ipſo Piſcatore in Aphoriſ. ſuis de Juſtif. Sect.26.) non alia operum juſtitia admittitur à Deo, quam integra Legis obſervatio. Deut.27, 26.) at obedientia Paſſiva (ut loquamur cum vulgo) eſt tantùm pars obedientiæ, non tota nec perfecta ad opus Redemptionis noſtræ perficiendum.

Vide ſis Plenius, Polana Synt.l.6.c. 30. Arg. 17.

Tota obedientia Chriſti ut Sponſoris eſt cauſa meritoria iuſtificationis noſtræ. Alſteed.

Iuſtitia eſt impletio Legis, oportet ergò nos iuſtificari per impletionē legis ſive noſtram, ſive alterius pro nobis. non per noſtrā, q. impoſſibile eſt nobis in hac vita legem Dei implere: ergo per Chriſti pro nobis. Polan.



Digitized by Google

Obedientia Christi est una copulativa. Alsted. Theolog. Sect.3.loc. 22. Causæ sociæ & invicem communicantes sunt sub eodem genere, nec debent distrahi aut divelli. Reg.

4. Arg. Quæ Deus conjunxit nemo separet; at Deus conjunxit Obedientiam Activam cum Passiva, ut abundè testatur Scriptura. Hebr. 7,26.27.28. & 10,7.10. Isa. 53,10.11. Joh. 10,18. Tit. 2,14. Rom. 8,3, 4. 1. Pet. 1.18.19. & 3, 18. distingui possunt propter nostrum conceptum, at disiungi nunquã debent. proinde Apostolus [Phil. 2,8.9.] totam Christi obedientiam à sua nativitate usq; ad mortem crucis inclusivè (quippe in morte ejus maximum fuit obedientiæ tàm Activæ quàm passivæ signum) connectit: nam Christus ex obedientia eaq; voluntaria moriebatur; duæ itáque sunt partes obedientiæ Christi, una præcedens mortem ac crucem, altera in cruce & morte inclusa; non enim ait factus est obediens in morte, quasi nihil ei injunxerat pater pro salute nostra quàm ut moreretur; sed injunxit etiam ut totam legem perfectissimè servaret; Apostolus itáq; *sub τὸ usq; ad mortem fuit obediens*, totam Christi obedientiam tàm Vitæ, quàm mortis complectitur. Primò præcessit obedientia Legis ab infantia usque ad mortem; deinde sequuta est obedientia Passionis & mortis, nam crux & mors sub hâc obedientia continentur.

Nec adhuc desiit penitùs Christi obedientia, fuit enim obediens usque ad mortem quoad ea quæ usq; ad mortem erant perficienda, sed quoad reliqua Mediatoris officia, adhuc obediens est, & usq; ad finẽ mundi obediens erit. Zanch.

Nomine obedientiæ vice nostri præstitæ, comprehendit universum Christi obsequium à Nativitate usq; ad ignominiosam crucis mortem. Brochmand.

5. Illa

5. Illa obedientia fuit necessaria ad satisfaciendum justitiæ Dei, cui promissio vitæ facta est, at promissio vitæ facta est obedientiæ activæ, nullibi soli Passioni, ut videre est. Psalm. 40, 7.8.9. Venio Deus mi, ut *faciam Voluntatem tuam*: at fuit Voluntas patris non solùm ut se offerendo in Sacrificium pateretur, sed etiam ut Legem impleret. vice nostri ideóque Christus dicitur Legem pro nobis implevisse. * Galat. 4, 4. 5. factus sub lege ut eos redimeret qui sub Lege erant fieri autem sub lege, hîc non significat tantùm sub Legis maledictione & pœna esse, sed etiam sub exactâ Legis obedientiâ, ut liquet. v. 21. dicite mihi qui *Sub lege* vultis esse, at nolebant esse sub maledictione, sed benedictione & obedientiâ Legis.

* Vide pleniùs. Polan. Syntag l. 6. c. 36. arg. 10.

6. Argum. Testatur S. Scriptura integrum ac totum Christum cum suis meritis nobis à Deo Patre donatum esse, ut videre est. Actor. 13, 38. 39. per *Hunc* remissio peccatorum annuntiatur. Omnis qui credit justificatur per totum CHRISTUM qui est Jehova justitia nostra, & propitiatio pro peccatis nostris. 1. Joh. 2, 2. ita Hebr. 10, 10. quâ voluntate sanctificati sumus per obedientiam semel peractam. nec fuit hæc obedientia merè

Christus totus est noster, & quicquid factus est, fecit & fuit, id nostro loco factus est & fuit. Wolleb. l. 1. c. 18. Christus dicitur Mediator, quod ad totam Christi personã referimus. Aretius.

merè paſſiva, nulla enim obedientia quà obedientia, própriè loquendo, eſt Paſſiva, ſed vel in Chriſti paſſionibus primas obtinuit Activa; hinc Chriſtus dicitur ſeipſum victimam ſpontaneè pro peccatis noſtris offerre. & nos dicimur ſanctificari, vid. imputatâ nobis ſanctitate Chriſti victima: ideoque non ſolùm pro nobis ſe in mortem obtulit, ſed & ſeipſum pro nobis ſanctificavit, ut ſimus & ipſi ſanctificati. Joh.17,19. Verùm ſi Paſſiva duntaxat Chriſti obedientia nobis imputaretur, ſequeretur dimidium tantùm Chriſtum nobis eſſe datum vid. patientem non agentem voluntatem Dei, auferentem mortem, non afferentem juſtitiam. At ille in totum nobis natus & datus eſſe dicitur, ut totum ſe nobis impenderet, & pro nobis agenda ageret, & patienda pateretur.

In Chriſto reputamur totum jus legis impleviſſe, quia & perpeſſi ſumus pænam quam lex intentat, & præſtitimus ſimul exactam illam obedientiam quam ipſa efflagitat. Daven.

7. Arg. Si Chriſtus fuit incarnatus ut jus Legis (1) hoc omne quod Lex requirit impleretur à nobis; tum non ſolâ Paſſivâ, ſed & Activâ Chriſti obedientiâ juſtificamur; Lex enim requirit, non tantùm pænam pro peccato, ſed & plenam impletionem activam; ideò utrumque pro nobis præſtitit, ut patet, * Rom. 8, 3. 4. aſſerit hoc vel ipſe Piſcator in hujus loci

* V. Pleniorem hujus loci explicationem apud Polan. in Syntag. lib.6.c. 36. Arg. 2,3.

Digitized by Google

loci Analysi. Deus condemnavit peccatum nostrum in carne filii sui, ut justificatio Legis in nobis compleretur (1) ut justificaremur præditii eâ justitiâ quam lex à nobis postulat; at Lex à nobis postulat perfectam obedientiam, ut & omnia ea faciamus quæ ipsa imperat, & omnia ea omittamus quæ vetat; nos autem utroque modo inobedientes fuimus, atque ita duplici peccatorũ genere legẽ violavimus. Hæc ille. Ex hoc loco sic argumẽtor:

Τὸ ἀδύνατον legis pro nobis præstitit Christus;

At obedientia Legis est illud ἀδύνατον; Ergo obedientia Legis est illud quod pro nobis præstitit Christus.

8. Arg. Si Christus est finis & perfectio Legis ad justitiam omni credenti tum necesse est nos in Christo reperire eam justitiam quam Lex exigit: At Christus est finis & perfectio legis omni credenti. Rom. 10, 4.

Ob. Perperam hinc argutantur Antinomi. Christus est finis Legis, ergo adventu Christi cessat Lex.

Sol. Est fallacia Æquivocationis, nam τὸ finis sumitur dupliciter, vel pro fine perficiente, vel pro fine interficiente: Christus est finis Legis perficiens & consummans, non interficiens & consumens, adimplevit enim Legem tum patiendo quæ homines suâ ino-

bedientiâ erant commeriti; tum faciendo quæ nos fecisse oportuit; itaque meritò dicitur legem perfecisse, implevisse eique satisfecisse.

Ob. Urget Piscator, Christus est finis Legis Cæremonialis, non Moralis.

Sol. Patet ex contextu hîc de lege Morali agi. v.3.5. loquitur enim de eâ lege quâ justitiam Judæi captabant, at hæc fuit Lex Moralis.

9. Arg. Omnis peccator tenetur satisfacere Legis exactioni;

At Christus pro nobis factus est peccator, ergò ille pro nobis tenetur satisfacere Legis exactioni.

Major est αὐτόπιστος & sua luce claret. Minorem probo, ex 2. Cor. 5, 21. eum qui non novit peccatum, pro nobis fecit peccatum, ut nos efficeremur justitia Dei in ipso. Licèt Christus fuerit in se agnus immaculatus, tamen Imputatione maximus fuit peccator; quippe omnia electorum peccata fuerunt illi imputata: at eo modo quo Christus factus est pro nobis peccatum, eo modo & nos in Christo efficimur justitia, nempe Imputativè. Deinde, si peccatum nostrum quod Christo imputatur est actualis, totalis & perfecta transgressio Legis; tum necesse est justitiam Christi, quæ nobis imputatur, esse

esse actualem, totalem, & perfectam legis impletionem.

10. Quicunque sunt completi & perfecti in Christo, iis perfectio & justitia Christi imputatur; At nos sumus completi & perfecti in Christo. Colos. 2, 10. estis in eo completi, consummati & perfecti: ipse enim non modò in se perfectus est, sed efficit ut nos per eum simus completi, quippe justitiâ suâ ditavit nos & ornavit indigos nostræ. Ezech. 16, 8. & Ephes. 1, 6. Gal. 3, 26. 27. gratiosos nos habuit in dilecto filio (1) induti justitiâ Christi Deo sumus grati, uti olim Jacobus fratris sui vestibus indutus, benedictionem patris impetravit.

Assignata est homini aliena justitia, quia caruit suâ. Bern.

11. Arg. ab absurdo, protritum est illud, concesso uno absurdo, consequentur mille. Dato, electos *Solâ* morte Christi esse redemptos, tum excluduntur ejus convitia, flagella, dolores, nec non omnes ejus passiones quas ab infantia usque ad mortem pertulit. 2. Tum excluditur Christi Resurrectio & Victoria & sequeretur dimidium tantùm Christum nobis esse datum, nempe patientem, non agentem. 3. Si activa obedientia Christi nobis in justitiam non imputaretur, tum sequeretur, in Christo non esse potiorem conditionem nostram quàm fuit Adami in statu innocentiæ; quia ille non tantùm

à pæna liber fuit, sed præditus fuit perfectâ justitiâ & sanctitate: nos verò nullam perfectam justitiam aut sanctitatem habemus, nisi illa Christi nobis imputetur.

V. Pleniùs. D. Dovvnā. de Justific. l.1.c.4.§.23.

4. Hoc fidelium consolationi valdè adversatur, dum ab illis eripit primariam eorum justitiæ partem, vid. activam Christi obedientiam. Nos itaque totum meritum & obedientiam Christi, toti demerito & inobedientiæ nostræ opponimus: non est enim metuendum ne Christo nimis reddamur divites, quippe Christus & cælum non patiuntur Hyperbolen. Porrò quoties in lege maledicti sunt qui non præstiterint verba Legis faciendo ea. [Deut.27.ult.] statim succurrat eam in Christo pro nobis impletam esse; hoc pacem animis nostris affert, admirabilem Dei amorem in nobis excitat, & efficit ut alacriter mandatum Dei percurramus. Sanctè & suaviter Ambrosius. [l.3.de Virgin.] si vis sanari, Christus est medicus: si febribus æstuas, fons est: si gravaris iniquitate, justitia est: si mortem times, vita est: si cælum desideras, via est.

5. Si pati pænas est perfectè legem implere, tum reprobi in inferno perfectissimè legem implerent, quippe eorum pænæ sunt exquisitissimæ.

6. Si

Digitized by Google

6. Si Christus non adimplevit legem pro nobis, tum actum est de nostra salute, quia erimus omnes sub maledictione legis. Deut. 27. ult.

7. Tum Christus frustrà legem impleret, quia non sibi; erat enim Dominus, non servus aut debitor Legis.

8. Est dogma Socinianum à fidelibus penitus explosum. contendit iste torris (utinam tandem fiat Titio!) Christum Legi esse obnoxium prò se, nòn minùs quàm cæteros homines.

12. Arg. A Testimonio tàm Veterum quàm Recentiorum, primæ classis Theologorum, petitum est. 1. Nobis suffragatur Antiquorum veneranda cohors, vid. Justinus Martyr, Irenæus, Cyrillus, Clem. Alexandrinus, Origenes, Cyprianus, Athanasius, Basilius, Gregorius Nyssenus, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus, Hieronymus, Leo, Gregorius M., Beda, cum mellifluo illo Bernardo. &c. Horum suffragia fusè & fideliter recenset clarif. Davenantius in libro de Justitia Habituali. c. 29. quem sùltis consulatis.

Nec desunt Recentiorum calculi. Justitia Christi (inquit Pet. Martyr ad Rom. 8. 4.) quâ lex impleta est, nobis à Deo imputatur. Cui astipulatur Calvinus [Inst. l. 2. c. 16. Sect. 5. & ad Rom. 3, 31.] ubi

Digitized by Google

ubi ad Christum ventum est, primùm in eo invenitur exacta Legis justitia, quæ per imputationem etiam nostra fit: deinde etiam sanctificatio, quâ formantur corda nostra ad Legis observationem, imperfectam quidem illam, sed quæ ad scopum collimat. Ita Beza in Annot. ad Rom. 5, 15. Planiùs & Pleniùs Polanus [in Synt. l. 6. cap. 36.] Justitia Christi per quam justificamur coram Deo, est perfectissima totius Legis divinæ obedientia, consistens in exactissima totius naturæ humanæ Christi, omniumque actionum & passionum ejus internarum & externarum conformitate cum tota Lege Dei, quam loco nostro perfectissimè implevit, ut nobis à morte æterna liberationem, & jus vitæ æternæ acquireret.

Sanè & sanctè doctis. Zanchius [in Philip. 2, 8. ] cum Christus descenderit de cælis, omniaque egerit & passus sit pro nostrâ salute (nobis enim natus est, nobis vixit, pro nobis factus est sub lege ) idcirco utraque pars obedientiæ Christi ( 1 ) tota ejus obedientia nostra facta est. Proinde Apostolus Rom. 5. pronuntiat nos esse justificatos non per solam obedientiam Christi in morte, sed simpliciter per ejus obedientiam, nempe totam, complectens Legis obedientiam

& ob-

& obſervationem. Hoc manifeſtum eſt ex antitheſi. Rom. 5, 19. quænam autem fuit inobedientia Adæ? Transgreſſio Legis. Ergò in Chriſti obedientia per quam ſimus juſti, Legis quoq; adimpletio continetur. &c. noſtra enim juſtitia conſiſtit tum in expiatione noſtræ inobedientiæ, tum in imputatione obedientiæ Chriſti; illa fuit expiata ſanguine Chriſti, hæc nobis acquiſita, impletione Legis per Chriſtum, &c.

Solidè & ſignanter Camero. [in Diſput. ex Epheſ. 2, 1.] ut eſſet ſatisfactio perfecta, neceſſe fuit ut ad juſtitiam vitæ accederet mors Chriſti, quare nunquam ſunt divellenda mors & juſtitia Chriſti, mors Chriſti *Sola* nihil facit, nec Juſtitia Sola, ſed mors Chriſti ornata ejus juſtitiâ: nam ut conſcientia noſtra pacem habeat, neceſſe eſt ut intueatur tum juſtitiam, tum mortem Chriſti. Cui aſſentiuntur Prof. Leydenſ. [in Synopſ. Pur. Theolog. Diſp. 29, Sect. 35.] de ſatisfactione hic egimus quæ eſt pænæ pro peccatis perſolutione, at verò more Scripturæ propter *συγγένειαν* cognationem & neceſſariam cohæſionem, ſub ea comprehẽdimus & alterã ejus partem; quã Chriſtus ſanctitatẽ & juſtitiã, quæ in nobis requirebatur, & ad quam præſtandam tenebamur

mur

mur pro nobis & habuit, & toto vitæ curriculo præstitit, ut in ipso Legi Dei per omnia essemus conformes, ac jus vitæ æternæ nobis acquireret. &c.

His suffragantur Rivet. contra Piscat. Molineus contra Tilen. Calvinus, Hommius, Bucanus, Davenantius, Dovvnamus Prideanxius. Trelcatius, Loc.com.l.2.cap.de Justificat.mihi.p.77. Plenissimè Perkins. in Galat. 2,16.17. Alsteed. Loci commun. de Justificat. mihi.p. 714. nec non Nortons Orthodox. Evangel. cap.14.p.301.&c.

Plura supersunt suffragia, sed ne nauseam pariat prolixitas, hæc sufficiant. Restant jam nonnullorum captiunculæ paucis diluendæ.

---

### *Diluuntur Sophismata.*

1. Ob. Christus sibi, non nobis meruit, & obedivit Legi pro se ut homo & *Creatura; ergò non pro nobis.

Sol. Christus non sibi propriè loquendo factus est homo, sed nobis. Isa. 9,6. Puer est *nobis* natus, & *nobis* datus, imò & pro nobis Legi subjectus; non propter se, sed propter nos sanctificavit seipsum, & se patri consecravit, ut ejus sanctitas ad nos perveniret. Joh. 17,19. se enim nihil acquirere testatur, qui fructum sanctitatis suæ

* v. Wendel in Theolog. l.1. cap. 25. Thes.7. & fusiùs in Exercitat. 123. p.97. &c. Debitū non est meritū. Luc.17,10. at obedientia Christi (uti censent non

ſuæ in alios transfert. Nec filii utilitati conſuluiſſe dicitur Pater in Chriſti meritis, ſed Noſtræ. proinde exulta filia Zion, ecce Rex tuus venit Tibi, non Sibi. Zach. 9,9. Luc. 2,11. Itaq; optimi negant Theologi Chriſtum ſecundum humanam naturam fuiſſe obligatum ad ſervandam totam legem. Ratio eſt, quia lex propriè non eſt tradita naturis, ſed perſonis. 2. Quia lex non eſt tradita naturæ humanæ ſubſiſtenti in perſona divina, ſed perſiſtenti per ſe & in perſonalitate propria, quâ unione humanæ naturæ cum divina in una hypoſtaſi, hoc privilegium etiam acceſſit humanæ naturæ ut filius Dei vocetur, ac proinde non ſub lege, ſed ſupra legem; quia fuit Deus & homo, lege ſuperior, non ſervus, ſed Dominus Sabbathi. [Matth. 12, 8.] & per conſequens totius Legis. 3. Quod ſe Legi non tantùm morali, ſed etiam Cæremoniali ſubjecerit, id ex voluntariâ diſpenſatione eſſe factum, quâ ſe legi ſubjecit, ut illos qui ſub lege ſunt redimeret. Hæc itaque obligatio ad præſtandam legem non eſt propriè naturæ ipſius, ſed voluntatis; neque ſimpliciter ex eo quod Chriſtus homo eſt, ſed ex eo quod factus eſt pro nobis; quam conditionem ultrò ſubiit & implevit, non Sibi, ut qui jam pleniſſimo jure beatiſſimus eſſet, ſed pro nobis, pro quibus voluit naſci,

nulli) fuit debitum, ergo non fuit meritoria, & per conſequens ſũditùs perimus omnes V. D. Dovvnam de Juſtif. l. 1. c. 4. §. 10. Chriſtus nõ fuit perſona humana, & Lex datur Perſonæ, nõ Naturæ.

ſci, pati, mori & ſub lege fieri. Galat. 4, 4. 5.

2. Ob. Chriſtus factus eſt homo propter nos, non pro nobis; & noſtro bono, non noſtro loco & vice noſtri.

Sol. Pellucidæ technæ! conſtat enim Chriſtum & propter nos, & pro nobis; tā noſtro loco, quàm noſtro bono factum eſſe hominem. ut videre eſt Gal. 2, 20. Chriſtus dilexit me, & tradidit ſe *pro me*, Epheſ. 5, 25. dilexit Eccleſiam & tradidit ſe *pro ea*, non pro ſe.

V. Plenius D. Dovvnam. de Juſtificat. l. 1. c. 4. §. 15. ☞

2. Dato, Chriſtum ſecundum humanam naturam ex debito naturæ ſubjectum fuiſſe legi, non tamen ſequitur, ergò non pro nobis: quippe ſignanter & διαχεριτικῶς dicit Apoſtolus, Chriſtum factum eſſe Legi ſubjectum pro nobis. Gal. 4, 4. 5.

3. Scriptura promiſcuè utitur particulis iſtis, Pro & Propter. ut Gal. 2, 20. tradidit ſemet ipſum *Pro me* & Rom. 5. traditus eſt *Propter* peccata noſtra.

4. Diſtinctio hæc Socinianiſmum redolet; ita enim hi in Catech. Raccov. cap. 8. Hæc verba (inquiunt illi) pro nobis, non ſignificant Loco vel vice noſtri; ſed propter nos. Quid aliud eſt hoc, niſi nodum in ſcirpo quærere?

Qui malè diſtinguit, malè docet. V. Plenius D. Ant. Burgeſſ de Juſtific. p. 2. concio. 40, 41. ☞

3. Ob. Chriſtus ſanctè vivendo gloriam vitæ futuræ Sibi acquiſivit, juxta ſententiam Legis, Hoc fac & vives.

Reſp.

Resp. Per idem. Christus ex voluntate Patris per Passionem suam debet intrare in gloriam suam, fatentur tamen, Christi passionem & mortem nobis imputari in justitiam.

2. Etsi non negemus, quin sanctitas vitæ Christi, & ejus mors fuerint via per quam in gloriam suam intravit; tamen asserimus, hæreditatem regni cœlestis illi, potiori jure competivisse. (1) quatenus erat Dei filius: filio autem quatenus filius debetur hæreditas, quæ tamen non nisi per obedientiam seu vitæ meritum adiri potest. Rom. 8, 17. Luc. 24, 26. 1. Petr. 1, 11. Joh. 17, 4. 5, Heb. 12, 2. Christus spectavit gloriam illam tanquam præmium, non *Primariò*, quippe non venit ut *Sibi*, sed ut *nobis* ministraret. *Matth. 20, 28.* ergò principaliter nostram spectavit salutem. Secundariò autem gloriam, siquidem se totum nobis impendendo, & redemptionis nostræ negotium perficiendo, amplissimum à Deo obtinuit præmium, ut patet. Phil. 2, 9. ubi gloria Mediatoris & nomen supra omne nomen, est præmium seu merces, ordinatione & decreto divino, passionum Christi.

4. Ob. Legi satisfacimus vel per pœnam, vel per impletionem Legis; at non per utrumq;.

Sol. Argumentum hoc falsâ nititur



Digitized by Google

hypothesi; nam licèt ab homine integro sola exigitur obedientia, tamen ab homina lapso exigitur utrumq;, tum pœnâ pro peccatis præteritis; tum obedientiâ, ne in eandem pœnam rursus incurrat. Proinde est fallacia à bene conjunctis ad malè divisa; Lex enim non *disjunctivè* vel ad obedientiam vel ad pœnam, sed *Copulativè* ad utrúmque simul obligat.

5. Ob. Cavillantur Antinomi. Si Christus nos redemit à Lege, tum Lex non obligat Christianos, & debitum quod Christus exolvit pro nobis & Vice nostri, non debet iterum à Nobis exigi.

Resp. Non sequitur; licèt enim Christus nos redemerit à Maledictione & rigore Legis, tamen non redemit nos à normâ & obedienttâ Legis; est enim nobis perpetua sanctè vivendi regula. Est itáq; fallacia à dicto secundum quid ad dictum Simpliciter. non enim liberati sumus à Lege absolutè, sed tantùm secundùm quid. vid. à maledictione ejus, & à severa illius exactione obedientiæ ad justificationem.

2. Resp. per idem. ut non sequitur, Christus pro nobis mortuus est, Ergò nobis non est moriendum, ut argutatur Socinus. Christus pro nobis oravit, Ergo nobis nō est orandū, & sic de cæteris: ita pari ra-

tione

tione non sequitur, Christus pro nobis obedivit Legi, Ergo nos non tenemur illi obedire. Est itáq; fallacia consequentis.

3. Resp. Debitum illud quod Christus pro nobis præstitit, iterum à nobis non exigitur: debitum enim illud erat plena & perfecta obedientia ad justitiam & vitam æternam inde consequendam. at hoc debitum Christus perfectissimè exolvit, ideóq; solutio ejus à nobis in æternum non exigitur. Non enim eo nomine, nec eâ mensurâ legi nos tenemur obedire, vid. ut eam impleamus, ejúsq; impletione tum justitiæ divinæ satisfaciamus, tum justitiam & vitam æternam promereamur: Sed tantùm gratitudinis ergò, ut Deo obsequium nostrum approbemus, Vocationem nostram ornemus, & elevationem nostram firmam faciamus.

Est ignoratio Elenchi; non enim ejusdem debiti duplex Solutio, sed unius solutionis duæ partes requiruntur. Wolleb. Quæ Christus pro nobis fecit, eadem & nos debemus facere, sed alio modo & fine quã Christus: hic enim ut Mediator, 2. modo perfectissimo sine ullo peccato. 3. Eo fine ut pro nobis satisfaceret. contrà, nos non ἱλαστικῶς, sed εὐχαριστικῶς, non Satisfactionis, sed gratitudinis ergò legi obedimus.

6. Ob. Solâ morte Christi remittuntur peccata, Ergo Sola morte Christi justificamur.

Sol. Negatur argumentum. nam licèt justificemur & reconciliemur morte Christi, tamen non Solâ morte exclusivè; nam remittuntur nobis peccata propter totam Christi obedientiam, vid. activam & passivam, ut antea ostensum est. Est itáq; fallacia à dicto secundum quid ad di-

ctum Simpliciter. Huc spectat & illud Piscatoris, ex Heb. 10.14. *Unâ* oblatione consecravit eos qui sanctificantur, inde colligit, nos Solâ Christi morte & oblatione justificari, exclusâ sanctâ ejus vitâ & obedientiâ. At hallucinatur; nam 1. hæc oblatio non fuit mera passio, sed promptissimæ voluntatis actio. Deinde, non opponitur hæc unica oblatio obedientiæ activæ, sed oblationum Leviticarum pluralitati & crebræ repetitioni (ut patet ex contextu) aliàs, si exclusivè accipienda esset illa particula, reliquæ passiones crucifixionem Christi antegressæ excluderentur.

3. Cum remissio peccatorum attribuitur morti Christi, est sacra Synecdoche in Scripturis usitatissima; quia quod toti obedientiæ Christi propriè convenit, uni parti, scil. morti tribuitur; quoniam in voluntaria illa Christi morte & oblatione, utriusq; justitiæ fuit colophon & complementum. Phil. 2, 8. Rem acu tetigit nervosus & Sanctus ille Calvinus [in com. in Johan. 17, 19. *Sanctificatio hac quamvis ad totam Christi vitam pertineat, in Sacrificio tamen mortis maximè illustris fuit, quia tunc apparuit verus Sacerdos, qui Templum, altare, vasa omnia & populum per Spiritûs virtutem consecraret.*

Vide fusiùs de hac re disserentem Doctiss. D. Dovvnam, de Iustificat. l. 1. c. 4. §. 18. ☞

7. Ob. Si obedientia Vitæ Christi, nobis

bis imputatur, tum obedientia mortis esset superflua: nam frustrà fit per plura, quod fieri potest per pauciora,

Sol. Nego Sequelam, nam etsi per Christi obedientiam activam justitia activa parta sit, quæ si in se *absolutè* consideretur, perfectissima est; tamen si *comparatè* prout totum Redemptionis opus respicit, consideretur, tum aliquid amplius requirebatur, scil. obedientia passiva; nam Christum pro nobis perfectè satisfacere oportuit; ideoq; pro utraq; obligatione nostra (1) pro culpa, Activa; pro pœna, Passiva obedientia, vel potiùs pro utráq; utróque modo illum solvere oportuit. Nec Christus bis, sed semel nostrum persolvit debitum: quia justè vivendo satisfecit pro culpa, & moriendo pro pœna. Nam ut in omni peccato est duplex reatus, vid. culpæ & pœnæ; ita & duplici Christi justitiá opus erat; nempe ut reatus culpæ tollatur. per justitiam Christi, & reatus pœnæ per passionem. Brevi, sit vice coronidis, Salvatoris illud. *Joh. 17, 4. 5. ego glorificavi te in terra*, [tam activâ, quàm Passivâ obedientia] opus consummavi quod dedisti mihi ut facerem, [tum Agendo, tum Patiendo] proinde glorifica me.

V. Plenius, D. Ant. Burgess de Justif. conc. 41. p. 411. &c.

Deus dilectum filium misit in mundum, qui & pœnam peccatis nostris debitam in se susciperet & legem pro nobis impleret, atq; sic immotæ Dei justitiæ satisfaceret, & patri offensos nos planè reconciliaret. &c. neq; enim Deus aliam justitiam, quam quæ cum lege ipsius cōgruit, agnoscit, neq; fides iustitiam Legis abolet, sed stabilit. Junius Thess. 36.

Hæc sunt Argumenta eorum palmaria; quæ supersunt leviora sunt, nec refuta-



Digitized by Google

tione indigent. Concludimus itaque totam Christi θεανθρώπου obedientiam, tum in sanctissima ejus vita, tum in acerrima morte, esse plenissimum λύτρον Redemptionis nostræ, & causam meritoriam justificationis nostræ coram Deo. ὅπερ ἔδει δεῖξαι, quod erat demonstrandum.

Arctum utriusque obedientiæ Christi nexum ego minimè nego. Wendelin. Obedientia Christi est una copulativa. Alsted. Theolog. Sect. 3. Loc. 22.

Thesis

*Thesis altera,*

# DE PERSEVERANTIA SANCTORUM.

*Verè fideles fidem totaliter & finaliter amittere non possunt.*

UT Africa semper aliquid edit monstri, ita ætas hæc errorum ferax, quamplurimos peperit Hæreticos, vid. Arrianos, Arminianos, Socinianos, cæterosque ejusdem surfuris homunciones, fide menstrua, semperque novandarum rerum avidos: adversus hos belligerârunt non infeliciter Ecclesiæ coryphæi, quibꝰ ego ex animo assentior, & in eorũ sententiam non solùm pedibus, sed & manibus, imò & toto pectore libentissimè ibo. Non me fugit, hostem istum Dei & Sanctorum unà cum mastigiis suis perseverantiæ nostræ maximè insidiari, adversus hanc nullas non movent machinas, sed incassùm; nam magna est tam Pietas, quàm Veritas, & prævalebunt. Vel excelsum quiddam & invictum est Dei gratia, cujus virtutem & vigorem nunquam senserunt, qui oppugnant; infelicissimè itaque Arminianis evenit, qui dum Sanctorum Apostasiam astruere contendunt, ipsi facti sunt Apostatæ. At justificata est sapientia à filiis suis, Electi enim omnes usque ad finem permanebunt in fide: sicut charitas, sic

Veritas simplex & nuda est, sed efficax & magna, splendet cum obscuratur, & vincit cum opprimitur.

Vera charitas semel habita non potest amit-



Digitized by Google

ti Cant. 8,7.
1. Cor. 13,8.
Aquinas 22. Q. 24. art. 11.
Amor nescit difficultates.
Κτῆμα ἀναφαίρετον ἡ ἀρετή. Plut.
Gratia divina οὐκ ἔχει τέλος, οὐκ οἶδε πέρας. Chrysost.
Cic. Paradox. 6.

sic pietas vera non novit finem. Hæ sunt veræ divitiæ, quas cum reverà habuerimus, perdere totaliter non possumus. Vera virtus ad rotam ascendit, ad equuleum descendit, nec eripi, nec surripi potest unquam, neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempestatum nec temporum permutatione permutatur. ut eleganter Cicero. Itaque dum expirat, sperat justus: [Job. 13, 15. & 19, 25. 26. 27. Prov. 14, 32.] non AntiChristi miraculo, non mundi illectamenta, non Tyrannorum tormenta, non ignis, crux, bestiarum conflictationes, ossium distractiones, Christianos à Christo suo separant; nec potuerunt; quippe quòd vitam suam non dilexerint usque ad mortem, [Apoc. 12, 11.] sed certatim in gloriosa ruêre certamina. Hinc amor Sponsæ dicitur esse vel morte potentior, quæ vincit omnia, & & cui nemo possit resistere: hinc Martyres gavisi sunt vel ipsis catenis, gaudebat Crispina (teste Augustino) cum tenebatur, cum ducebatur, cum damnabatur. Exultabat Laurentius in craticula (referente Leone) flammis sævæ crudelitatis superari charitatis Christi flamma non potuit; segnior fuit ignis qui foris ussit, quàm qui intùs accendit. Titillet caro, blandiatur mundus, insidietur Dæmon, stat tamen verè fidelis infractus & immotus

tus

Digitized by Google

tus nec ullis blanditiis decipi, nec ullis minis dejici poteſt. Proinde comparatur Palmæ, [Pſal.1,3. & 92, 12. 13.] cujus folium non marceſcit, quippe radix ejus aquâ perpetuò irrigatur & humectatur, ita ut nec æſtu areſcat, nec frigore emoriatur; ſed ſemper floret & vireſcit vel nivibus depreſſa: itidem Electi licèt perſecutionum æſtu torreantur, & ſævientibus hujus maris procellis huc & illuc diſpergantur, tamen quicquid illis accidat, non defluūt eorum folia, non ſuccumbunt, in ipſa infelicitate felices; quò miſeriores, eò meliores, quia per anguſta ad auguſta eundum eſt. Hi plantati ad rivos Gratiæ ſemper habent ſuccum vivæ conſolationis, florentes vigore viridi, certò perſuaſi omnia ſibi in bonum, Rom.8,28. & adjumento eſſe.

Palmæ folium nunquam decidit, ſed quæ ſemel produxit ad finem uſque retinet. Plin nat. Hiſt.l. 16.c.20. Vt Palma plantata ad rivulos aquarum ſemper viret, ſuo tempore fructificat, & onus impoſitum ſuſtinet: ita juſtus qui in Chriſto plantatus, irrigatus gratiâ SS. ſemper viret, & ſuo tempore fructificat, nec mole ærumnarum preſſus abjicit confesſionem. Heming.

Sæviant itaque Nerones, fremat Antiochus, furat Herodes, inſurgant omnes calamitatum, perſecutionum & morborum Aquilones; nullis tamen malis, nullis miſeriis offenduntur, ſed ſi vel fractus illabatur orbis, forti conſtantique erunt animo: identidem illud ingeminantes;

Aura tonet, ſonet unda, minis fremat orbis & Orcus.

Tu tamen insertos nos tibi Christe,
teges.

Virtutem esse tenorem & æqualitatem vitæ per omnia sibi consonantem, dixit Seneca.

Palmaris hic est Quadratus vir, qui in quodcunq; latus volvitur cubi & tetragoni instar, quadratè & firmè consistit, omnemque fortunæ aleam quadrato mentis vultûsque situ excipit: adeò ut semper sui sit similis, non effertur prosperâ fortunâ, ut insolescat; nec dejicitur adversâ, ut animum despondeat: sed voluptatibus resistit, mundana spernit, & malorum opprobria susque deque habet. Imò vel in ipsâ senectutis hyeme virorem non amittet suum, nec frigus mortis Palmam nostram lædet, quia spiritus Dei in eo est fons aquæ salientis in vitam æternam. Joh.4,14. Licèt ventus levissimus hujus mundi Cræsos, Crassos, Alexandros huc illuc dissipet & dispellat; Palma tamen nostra contra totius mundi impetus, tanquam alter Athanasius, aut Lutherus, fixus & immotus persistit; uti mons qui non dimovetur, sed in sæcula permanet [Psal. 125.1.& 23,4.& 46.] Hic verè fidelis est ovis Christi, quam nihil rapiet è manu ejus omnipotentis [Joh.10,28.29.] non mundus, nec caro, non Hæreses, nec Dæmones, non ipsa mors, aut peccatum, nec ulla creatura.

Nos nec Chimæræ spiritus igneæ,
Nec si resurgat centimanus Gyas
Divellet unquam. Hor.l.2.ode 17.

Mun-

Mundus clamat ego deficiam, caro clamat ego inficiam, Diabolus clamat, ego decipiam, at Christus clamat ego reficiam. ut acutè Augustinus: cui suffragantur vel ipsi Remonstrantes [in Artic. 5.] fatentur palàm. 1. *Verè fideles abundè habere facultatum ad Satanam & peccatum debellandum per gratiæ subsidium. 2. Iesum Christum in omnibus tentationibus eis adesse, manumque porrigere. 3. Quod adeò eos confirmet, ut nullâ fraude aut vi Satanicâ seduci, vel è manibus Christi eripi possint. Hæc illi.* Quid itaque horum saluti obstat? 1. Non mundus, hunc enim vicimus in Christo capite [Joh. 16. ult.] & fide quotidie vincimus, [1. Joh. 5, 4.] mundanas cupiditates æquè ac terrores patet hoc è verbo *νικήσασα* (1) vicit, in Aoristo, sub quo omne tempus intelligitur; q.d. omnis verè fidelis vicit, vincit & vincet omnes mundi pænas & illecebras, nec à proposito & animi rectitudine ullis paupertatis, exilii, aut carcerum minis depellitur, sed in via vitæ constanter & inconcussè ambulat. Heb. 11, 34. ad 38.

Certate generosè, quia Christus certabit in vobis, & vincet in vobis dum vos, victores efficiet à Lap. Vt nec mundus, nec peccatum, nec crux, nec mors, nec Satan, nec infernus Christum vincere potuerunt; ita nec vos, si in illum per fidem perduretis, vincent. Muscul.

2. Non propria pravitas & in malum proclivitas, quia virtute Dei custodimur contra hostem hunc domesticum, connatum & innatum; Deus verò est major omnibus; & per consequens major nobismet ipsis, ita ut neque voluntariè, neque

invo-

involuntariè, neq; vi, neq; spontaneâ declinatione â Deo recedere possimus.

3. Non Hæreses, justus enim est fundamentũ perpetuũ & immobile. Pro. 10, 25. ædificat hic super Petrã consistens adversus omnes pluviarum & fluminũ cõcursus [Matt. 7. 24. 25.] ut videre est in Job, David, Paulo &c. mittuntur Hæreses ad probandũ, nõ ad perdendũ Electos Dei. 1. Cor 11, 19. proinde firmum stat fundamentum Dei contra omnes Hæreses & Hæreticos. ut liquet. 2. Tim. 2, 17. 18. 19. Hos itaq; totaliter, fundamentaliter & finaliter seduci impossibile est. Matt. 24, 24. adorant enim bestiam soli incolæ terræ, quorũ nomina non sunt scripta in libro vitæ. Apoc. 13, 8. & 2. Thes. 2, 11. 12. Electi tentãtur, & erroribus nonnihil moveri possunt, verùm ut prorsus à veritate abducantur, illud fieri non potest: decipi possunt, at penitus seduci non possunt. Hinc asserit Tertullianus, neq; fideles, neq; prudentes, neq; sanos æstimandos, quos hæreses potuerunt demutare; nemo Christianus nisi qui ad finem usque perseveraverit.

Omnes Prædestinati & Electi in finem permanent. Ut ipse Estius. in Sentent. l. 3. p. 107.

A Deo permittente & disponente est & is qui errat, & qui in errorem inducit. Job 12, 16. Ezech 14, 9.

4. Nõ ipsa mors. Conjugiũ carnale morte dissolvitur, at conjugiũ hoc spirituale morte perficitur, non aboletur; hinc carmẽ illud triumphale, quo electi morti insultant. 1. Cor. 15, 55. occidi possunt, vinci non possunt. Quia mortem intuentur non oculis Philosophicis, ut humanarum rerũ

clau-

clausulam, sed oculis Christianis, ut beatæ æternitatis januam.

5. Nō Diabolus, nec omnis inferni potestas. Prov. 21, 30. Matt. 16, 18. Christus ædificabit ecclesiā suā (quod si ille ædificabit, quis ei obstabit?) & portæ inferorū nō evertent eā. Est Mejosis, q. d. ecclesia adeò nō vincetur, ut ipsa vincat omnē vim Satanicam, omnem versutiam & astutiā infernalem: ut portæ urbium sunt munitissimę, & propugnacula habent firmissima [Gen. 22, 17. Ps. 9, 14.] ita & in eis olim consedere Judices, ibique consilia agitabantur. 1. Sam. 4, 18. & 9, 18. Ps. 69, 12. At Christus est fortior armato forti, ille vicit & vinxit ipsum Beelzebub. Luc. 11, 22. 1. Joh. 4, 4. ille omnibus suis armis atque præsidiis spoliavit eum, & palàm triumphum egit super eum in cruce, ut nos cum eo triumpharemus. Col. 2, 15. Permittit ille Satanā exercitii ergò nos oppugnare, sed nunquā expugnare; qui enim sub suis, is & sub nostris pedibus conteret illum. [Rom. 16, 20.] ita ut malus non tangat nos, vid. vulnere mortifero & lethaliter, ut lædat nos [1. Joh. 5, 18. Ps. 104. 15. Zach. 2. 8. 1. Cor. 10, 13.] Deus enim ita confortat & confirmat suos, ut nullis Dæmonum insidiis decipi, nullis lenociniis illici, nullis denique terroribus vinci queant. 6. Non

Christus Sanctam Ecclesiam de Sanctis in æternum permansuris extruxit. Greg.

Non tangit eum. est Liptote, pro nō vulnerat eū Grotius.

Vel ipsa ignita inferni tela, quæ sunt *emanativè* & originaliter à Dæmone; diriguntur tamen *dispositivè* à Deo in bonum. Hinc fides cernit in angustiis augusta, in cruce lucē, in letho læta, in inferno cælum, in indignatione misericordiam, in ignominia gloriam. Sibel.

Facessat itaque Corn. à Lapide cum sex suis dubitationis causis in Philip. 2, 12. In quolibet renato Seminalis est Antipathia contra peccatum.

6. Non Peccatum. Licèt hoc gratiam tollat *demeritoriè*, tamen eam non tollit *effectivè*: quippe Deus omnia vel non bona, suis vertit in bonum. Rom. 8, 28. etiam ipsa peccata (inquit Augustinus) usque adeò prorsus omnia, ut etiam si qui eorum devient atque exorbitent, etiam hoc ipsum eos faciat proficere in bonum, quia humiliores redeunt atque doctiores. Sicut è serpentibus fiunt antidota, & medicamenta contra venena serpentum; ita bonus Deus qui fecit lucem è tenebris splendescere, de peccato suis medicinam creat contra peccatum, & vel hôc reddit suos humiliores, cautiores, & oratione ferventiores.

Ecclesia calamitatibus non deformatur aut evertitur; sed ornatur & firmior fit.

7. Nulla deniq; creatura, nulli hostes, nulla calamitas, nihil intra nos, nihil extra nos, nihil supra nos, nihil infra nos; non afflictio, nõ angustia, non persecutio, non fames, nõ gladius, nõ mors neq; vita. &c. possunt nos à DEO nostro separare, sed in omnibus his ὑπερνικῶμεν, supervincimus & supersuperamus (1) supra modũ, seu egregiè vincimus, quia non modò nõ frangimur, sed & gloriamur; nec modò eluctamur, sed & victoriam de hostibus reportamus & triumphamus in eo: ut suavissimè Apostolus. Rom. 8, 33. &c. Animus in cælis, in Christo, in æternitate defixus, ridet omnia quæ sub cælo sunt, tanquam vilia & exilia. Con-

Digitized by Google

Confidamus itaq; nec calamitatum vel præsentium magnitudine, vel impendentiũ metu succumbamus. Quid enim salutẽ nostram impediat? Peccatum nobis non dominabitur, caro crucifixa est, mundum fide vincimus, tribulationes sunt nobis in bonum, imò omnia sunt nostra. 2. Cor.3, 22. Graviter & graphicè Marinarius in Concilio Tridentino. Neq; seculi blanditiæ, neq; carnis illecebræ, neque Satanæ fulmina, neq; Hæreticorũ fraudes, neque amicorũ delitiæ, neq; aliorum preces, neque parentum pietas, neque populi furor, neque Tyrannorum crudelitas, seu minis perterrere, seu fortunis privare, seu in exilium ablegare, seu quolibet mortis genere perdere voluerint, à Deo Opt. Max. à Domino omnipotente, à patre indulgentissimo, ullo unquam tempore nos divellent; Si cælum ruat, si terra evanescat, si orbis illabatur præceps, nos in eum erecti erimus. Hæc ille. An Calvinus ipse magis fortiter & fervidè?

V. Acta concil. Tridenc. 1546.

Verùm ut Thesis proposita distinctius (nã in universalibus latet dolus) pertractetur. 1. Termini sũt explicãdi, & distinctiones quædã, tanquã præcognita, sunt præmittendæ. Primò distinguendũ est de fidelibus, deinde de fide. Ut in Dialectica Definitiones sũt duplices vid. Nominales, & Reales; ita & in Theologia fideles sũt duplices. 1. Quidam sunt Nominales, specie tenus,

Qui benè distinguit, benè docet Keckerm.

Quidam sunt in Eccle

ten9, Sacramẽtaliter, externâ professione, Judicio charitatis, in foro soli, corã Ecclesia, κατὰ δόξαν & apparenter Renati, justificati, sanctificati, adoptati, cõversi, abluti, electi; & tales, quia intùs sunt Hypocritæ, à Sanctificatione, Regeneratione & ablutione istâ hypocriticâ, à gustu suo, à professione, à gratia illa gratis data & à donis cõmunibus, totaliter & finaliter posse excidere, libenter cõcedim9. ut liquet, Ezech. 18, 24. Luc. 8, 18. Heb. 6, 4. & 10, 26. 29. Gal. 3, 3. 2. Pet. 2, 21. 22. 1. Tim. 1, 19. & 2, 2. 17. 18. & 2, 4. 10. At de talibus non statuitur Quæstio.

ta solo nomine, non Re; numero, nõ merito, κατὰ φάσιν, non κατὰ ἀλήθειαν.

Quousque non Electi progredi possint, clarissimè ostendunt Theolog. Brit. in Synod. Dordrecht. p. 246. &c. & Alting. Tom. 2. Q. 51. p. 192.

v Plura apud Ravanell. in verbo fidelis.

2. Quidã fideles sunt Reales, (1) reverà tales, verè, internè, syncerè, κατὰ ἀλήθειαν & in foro Poli, corã Deo Regenerati, sanctificati, abluti, dona habẽtes gratos facientia; & tales à gratia totaliter & finaliter posse excidere, Negamus.

Non dicimus itaque quoslibet fideles perseverare, sed tantùm eos qui verè tales sũt, Esse enim & Esse verè plurimũ differunt: sunt autẽ veri fideles, non qui simpliciter credunt iis quæ vera sunt (ita enim Diabolus fidelis esset) sed qui fide non fictâ, & plenâ animi fiduciâ, Christo soli Servatori & Regi adhærent, in ipso radicati sunt, & sermonem ejus servant.

V. Plura apud Ravanell. in verbo, Fides.

2. Distinguendum est *de Fide*, τὸ fides est πολύσημον & ὁμώνυμον, varias habet significationes. Sumitur latè vel strictè,

pro-

Propriè vel Impropriè. 1. fides latiùs sumpta includit fidem Historicam & dogmaticam, fidem informem (ut loquuntur Scholastici) & mortuam, fidem Ethicam, Assensitivam, vel rationibus humanis acquisitam, fidem miraculorum, communem, nudam, fictam, fatuam & Hypocriticam. At talis fides, non est fides Propriè & Univocè, ( nam Ens & Verum convertuntur ) sed tantùm Æquivocè & καταχρηστικῶς, ut cadaver dicitur homo, & manus mortua dicitur manus. Nisi fortasse fides hæc dicatur vera, Ratione Objecti & doctrinæ, *quæ creditur*; non Ratione habitûs & virtutis credendi, *quâ creditur*. Et talis fides penitùs amitti potest. Hæc sunt διδόμενα, at τὸ ζητούμενον & cardo controversiæ est de fide Salvifica, non de fide Historica. &c. Proinde fides sumitur. 2. Strictè & propriè pro fide verâ, vivâ, radicatâ, probatâ, formatâ, Theologicâ & infusâ, quæ dicitur fides salvifica, ob finẽ, quippe qui hac fide præditus est, certò certiùs salvabitur. Ephes. 2, 8. 1. Pet. 1, 5. 2. nuncupatur fides Electorum κατ' ἐξοχὴν. Tit. 1, 1. 3. Dicitur fides ἀνυπόκριτος & sincera. 1. Tim. 1, 5. 4. Operosa & ἐνεργετικὴ. Galat. 5, 6. 5. Pretiosa fides. * 2. Pet. 1, 1. Ratione pretii ac valoris sui; præstat enim omnibus divitiis & thesauris hujus mundi, præstátq; fidelem esse & paupertimum, quàm infidelem

Fides Temporaria differt non tàntùm gradu, sed & Specificè à fide justificante, ut luculentissimè & nervosè probant. Theolog. in Synod. Dordrecht. p. 273. 276. &c. & D. Abbot contra Thomson. c. 9. p. 135.

* Plura apud Laurentium in locum.

O ditis-

ditissimum. Heb. 11,25.26. 6. appellatur fides justificans. Rom. 5,1. idq; 1. vel respectu Subjecti, quippe qui hâc fide donantur semper sunt justi in conspectu Dei. 2. vel respectu Objecti, quia oculum animi figit in plenam Christi justitiam. Et hæc fides totaliter & finaliter amitti non potest: nam fides quæ penitùs deficit nunquam fuit vera, fuit tantùm spectrum & larva fidei, ideóq; à Jacobo dicitur mortua. Jac. 2,17.

Perpetua ac solida sunt quæ vera sunt; simulata non perseverant. Ambros.

3. Per totalem & finalem Apostasiam à fide & gratia, intelligimus omnimodam & plenariam non actuum, sensuum, graduum; sed & Habituum & Seminis fidei & sanctitatis amissionem, & à gratia intercisionem, ita ut verè fidelis donis Regenerationis quibus anteà donatus fuerat, penitùs privetur ac destituatur, adeóq; ex fideli infidelis, ex Electo reprobus, & ex filio Dei iterum fiat mancipium Satanæ; idq; finaliter, ità ut nunquam iisdem denuò donetur donis, sed in Apostasia illa usq; ad finem persistat, & in æternum pereat: asserunt hoc Pelagiani, Pontificii, Pseudo-Lutherani, Sociniani, Arminiani, unà cum Hinckelmanno, Winckelmanno, Batto, Bertio, Vorstio. &c.

Nos è contrà cum omnibus Ecclesiis Reformatis & Orthodoxis, Negamus.

Verum-

Veruntamen non inficiamur, Electos ipsos astu Satanæ, propriâ negligentiâ & nativâ corruptione, nonnunquam in atrocia peccata incidere, & Spiritum Dei contristare: at in maximis fidelium lapsibus, fides non deficit totaliter, nec semen gratiæ penitùs eradicatur; aliud enim est recedere, aliud penitùs excidere; aliud peccare, aliud petulanter & perseveranter peccatum facere & funditùs perire. 1. Joh. 3, 9. fides hæc semel incæpta augeri potest, imò & interdum minui, nec non acerrimis variarum tentationum cum externarum tum internarum procellis, tantum non obrui: verùm in hoc ipsò agone licèt vehementissimo, vera fides non deficit, sed similis est animæ, quæ ita hæret corpori, ut non rarò cum ipsâ morte luctetur, & in eas angustias redigatur, ut corpus relinquat non dissimile mortuò, omni motu privatum, & omni sensu pro tempore orbatum: verissimum tamen est, in universa illa luctâ animam non recessisse ab illo corpore, sed æquè totam esse in eo, ac in alio, cujus plenissima est sanitas, sed tantùm infirmiorem; à qua infirmitate & sensuum & motuum oritur defectus. Arbor licèt frugifera, hyeme tamen non parit fructum actualiter, habet autem in radice Virtualiter: neq; potuit Eutychus statim à lapsu vitam ostendere, quamvis anima

Lapsus est, non prolapsio totalis. Iustus cadit, non excidit. Hieron.

Ἁμαρτίαν ποιεῖν differt ab ἁμαρτάνειν; Peccat enim qui in aliquo opere delinquit; at peccatum facit, qui toto cordis affectu in malū ruit. Calvin.

Quassa quidem nostra est, non mersa nec obruta navis. Vtq; caret portu, sic tamen extat aquis. Ovid.

Scutum fidei verberati undiq; potest, transverberari & pertundi non potest, D. Somnus.

Quamvis existentia



Digitized by Google

rosæ pereat in hyeme, aptitudo tamen & potentia ad existendum nunquam perit. Stier.

fuerit in ipso; ita fides nonnunquam patitur deliquium, & semen ejus ad tempus, & aliquatenus sopitur & sepelitur, ut constat in Davide, Salomone, Petro &c. attamen nec totaliter intermittitur, nec finaliter amittitur. Hujusmodi itaq; lapsus divinæ Electioni nihil præjudicant, quia non sunt perpetui, nam antè exitum vitæ pœnitentiâ resurgunt. 2. Sam. 12, 13. Ecclesiast. 1. &c. Matth. 26, 57.

2. Concedimus, Deum nonnunquam faciem suam à dilectis suis (ad examen, ad exercitium, ad cautelam, & majorem peccati detestationem) abscondere: præsertim cùm ruunt in peccata vastantia conscientiam. etsi enim his non solvatur illud vinculum æternæ Dei *benevolentiæ*, quod ab electione pendet; solvitur tamen ad tempus amor *Amicitiæ*, aut saltem sensus & usus ejusdem, qui pendet ex fide & sanctificatione. ut videre est. Psal. 31, 23. & 32, 4. Jona 2, 8.

3. Concedimus, fidem Electorum amitti posse quoad sensum, non quoad habitum; quoad gradum & actum, quoad doctrinam & media doctrinæ, nonnunquam interrumpi potest, at non radicitùs evelli, nec penitus everti quoad statum: quippe Semen in illis manet, quod rore cœlestis gratiæ madefactum, crescit in fructum. Ad rem & acutè doctiss. noster

Fides secundum gradū aliquem sæpè minuitur, perire autem secundum formam nunquā potest. Trelcat.

Pri-

Prideauxius, Actus omittitur, habitus non amittitur; actio pervertitur, fides non subvertitur; concutitur, non excutitur; defluit fructus, latet succus; jus ad regnum amittunt demeritoriè, non effective. cui succinit pientissimus Abbotus, multum interest inter stertentem, & defunctum; inter oculum mortuum, & non videntem; non vidit oculus per somnium non correptâ per ecstasin, aut deliquium animâ, non palpebris purulentia & sanie contractis; impedita tantùm, non extincta, vel intercisa virtus aut vita est. &c. ignis fidei quasi cineribus per tentationem obducitur, quibus tamen difflatis, citò fervor ejus & lumen apparet.

Etsi fides actualis ad tempus amissa est, tamen fides habitualis denuò ad novum actualis fiduciæ actum excitatur, novâ verbi Dei prædicatione, aliisque modis quibus Deus utitur ad excitandam fidem in electorum cordibus. Polan. Abbot. contra Thompson. cap. 9. mihi p. 138.

4. Minimè negamus, Verè fideles sibi relictos posse fidem & salutem prorsus amittere quoad vires suas, voluntate siquidem humanâ nihil mutabilius, viribus humani arbitrii nihil imbebillius, carnis & mundi illecebris nihil potentius, furore Satanæ nihil violentius: adeò ut si natura & imbecillitas subjecti cui fides inest per se consideretur, pereamus funditùs: ne unum quidem momentum adversus Satanæ, mundi & carnis insidias subsistere possimus.

Vim hujus permanentiæ non in ipso homine constituimus, qui in quolibet statu ponatur per se deficere potest & sæpè etiam meretur ut à Deo deseratur: sed in ipsius Dei proposito, qui effectivè nunquam deserit suos, licèt in se desertione dignos. Rivet. compend. Disp. 11. § 17.

At quod impossibile est respectu Rei, possibile est respectu Dei.

1. Propter immutabile Dei decretum, non est apud Deum mutatio, sed consilium ejus stabit inconcussum, immobile & immutabile, ideóq; appellatur fundamentum. 2. Tim. 2. 19. solidum & firmum stat fundamentum Dei. ubi decretum Electionis vocatur fundamentum. 1. Quia est principium nostræ salutis. 2. propter firmitatem & certitudinem, electionis enim decretum manet immutabile, adeò ut qui verè sunt vocati, ab Hæreticis & seductoribus decipi non possint; nam propositum Dei quoad electionem stabit. Rom. 9, 11. proinde ex omnibus quos Pater dedit Christo, ne unus quidem peribit. Joh. 6, 39. quia sub arcana Dei custodia, tanquam signatorio annulo continetur salus electorum. Hinc tres certitudinis notæ eliciuntur. vid. fundamentum, Sigillum, & Notitia Dei. fundamentum in petra jactum est firmum; 2. Sigillata apud nos rata & authentica sunt, multo magis quæ Deus sigillavit in suo consilio. 3. In his quæ scimus non fallimur; multò minus falli potest Deus, qui novit qui sunt sui.

Quot verba, tot argumẽta. 1. certitudo hæc nititur fundamento. 2. nõ quocunque sed firmo. 3. non hominis, sed Dei. 4. non vacillante, sed stante. idq; obsignato, idq; notitiâ Dei, non simplicis tantùm inspectionis, sed discernente suos à non suis. Prideaux. Lect. 6. p. 84. V. Pleniùs D. Kendall. de perseverant. l. 6. p. 99.

2. Fidelis est Deus qui *promisit* hoc perseverantiæ donum verè fidelibus. ut videre est. Deut. 30, 6, Isa. 59, 21. Ez. 36, 27. 1. Cor. 1, 8. Ps. 37, 24. Matth. 12, 20. Isa. 46, 4. & 54, 10. 2. Thess. 3, 3. sit instar omnium insi-

insignis ille locus, Jer. 32, 39. 40. pangam cum ipsis fœdus perpetuum, & * reverentiam meam indam animo ipsorum, ut non recedant à me. quod quid aliud est, quàm talis & tantus erit timor mei, quem dabo in cor eorum, ut perseveranter mihi adhæreant? ut sanè & sanctè Augustinus. Non recedet ab Electis Dei Spiritus, hoc manente, manet fides; manente fide, manet salus. hinc fideles omnes non tantùm habebunt, sed in præsenti habent vitam æternam, [Joh. 3, 36. & 5, 24.] vid. quoad initium, proprietatem & certitudinem, ideoque hoc fœdus dicitur perpetuum, 2. Sam. 23, 5. Hos. 2, 19, 20, & dona Dei dicuntur ἀμεταμέλητα, 2. Nec promittit solùm, sed & jurat eorum salutem DEUS, Heb. 6, 17. 18. si securum me facis quod dixisti, quantò securiorem qui jurâsti? ut suaviter Tertullianus. Deus (inquit ille) invitat ad salutem præmio, jurans, etiam vivo dicens, cupit sibi credi. O beatos nos, quorum causa jurat DEUS! 3. Hos omnipotentiâ suâ protegit & sustentat Deus. Deut. 33, 3. Joh. 10, 28. 29. in quotidianis eorum lapsibus, Dominus supponit manum suam ne collidantur, Pro. 2, 7. 8. Psal. 37. 24. virtute ejus φρουρούμενοι (1) tanquam præsidio custodiuntur:

* Optimus virtutum custos est timor. Anselm.

Perseverantia in gratia est donum commune omnium electorum. Bellarm. de Rom. Pontif. l. 4. c. 3. Semel fœlix nunquam miser esse potest, quo, ad interna bona animi, essentiamque fœlicitatis. Breer Wood. Ethic. l. 1. p. 47

Hujus manûs suppositio, est divinæ gratiæ conservatio. Lyra.

φρουρέω, est verbum militare, & significat, custodire civitatem ab hostibus, sive urbem tenere præsidio. Laurent.

tur: [1.Pet. 1,5.] nam ſicut urbes per ſe infirmæ ſunt, nec adverſus hoſtium irruptiones valent conſiſtere niſi benè muniantur & cuſtodiantur: ita ipſi electi per ſe ſunt infirmi ac ne per momentum valent conſiſtere, niſi bene muniantur ac ſuſtententur à Deo.

4. Hos diligit Deus amore ſempiterno. Jere. 31,3. Joh.13,1.

5. Pro illis Chriſtus efficaciſſimè intercedit, ne fides eorum deficiat. Luc. 22,32. Johan. 17,15.17,20. Deinde * uniuntur Chriſto unione arctâ, efficaci & indiſſolubili. 1. Cor. 6,17. & 12,12. Joh. 17,11.

* V. Cameron. de Eccleſ. mihi. p. 226.

6. Obſignantur Spiritu Sancto. at ejus obſignatio irrita eſſe non poteſt. Epheſ. 1,13.14. & 4,30. 2. Cor. 4,1. 21.22. Rom. 8,15.16. Gal. 4,5.7.

Damnata antequam nata Arminianorum opinio.

7. Si quis Patrum Teſtimonia deſiderat, conſulat Sharpii curſum Theolog. p.473. & præ aliis, Gul. Pryn. Perpetuity of a Regenerat. man. p. 212. eò brevitatis ergò vos remitto.

8. Datâ Sanctorum totali Apoſtaſiâ, quamplurima exinde ſequentur *Abſurda*. 1. Promiſſiones Dei (quod nefas eſt dictu) eſſe falſas 2. Interceſſionem Chriſti eſſe irritam. 3. Dona DEI non eſſe ἀμεταμέλητα. 4. à Diabolo

Horum ſi quisquam

ſuperari

superari Deum, & à mundo Christum, nec in secundo Adamo nos esse feliciores, quàm fuerimus in primo. 5. Tolli discrimen inter Electos & reprobos, & sic frustrari Dei Prædestinationem, quod est impossibile & absurdissimum, vel ipsis sanioribus Pontificiis judicibus: nam fieri non potest ut aliquis ab æterno sit prædestinatus, & modò non sit prædestinatus. ut rectè Lumb. l. 1. distinct. 40. 6. Tolli Sanctorum consolationem. 7. Gratiam esse resistibilem. 8. Everti Electionis decretum & certitudinem salutis, si hominis imbecillitate & libero arbitrio annihilatur: tumque salutem nostram esse in hominum potestate, nec pendere ab immutabili voluntate Dei, sed ab hominis voluntate.

perit fallitur Deus, sed nemo eorū perit quia non fallitur De⁹. Horū si quisquam perit vitio humano vincitur Deus, sed nemo eorū perit, quia nullà re vincitur Deus, Aug. de corrept. & Grat. c. 7. firmissimè tene, nullū eorum qui prædestinati sunt, posse perire à Lap. è Fulgent.

Ad summam, omnia (ὡς ἐν τύπῳ) hoc Syllogismo perstringam.

Quibus Deus promisit perseverantiam in fide, & qui virtute Dei custodiuntur in fide usque ad finem; & pro quorum perseverantia Christus orat, & qui indesinenter ipsi pro eadem orant: qui Spiritu Sancto usq; in diem perfectæ Redemptionis sunt obsignati, qui vinculo indissolubili per veram fidem Christo, ut capiti membra, uniti sunt: qui denique ad mortem peccare non possunt, quia semen Dei in illis manet: Illi nec totaliter nec

finaliter fidei habitum, Radicem & semen possunt amittere. Atqui Deus verè fidelibus promisit perseverantiam in fide. &c. Ergò.

Quisquis pleniorem expetit Argumentorum seriem, consulat Amesii Coronidem, ubi Orthodoxorum Argumenta, ab Arminianorum Strophis, nervosè & solidè vindicantur. Item Perkins 2. Vol. p. 632. & præ aliis Gul. Pryn. Perpetuity of a Regen. &c.

Pars

Digitized by Google

## Pars ἀνασκευαστική.

*Ubi primaria Pontificiorum & Arminianorum stropha & argutia strictim diluuntur.*

1. Ob. Ezech. 18, 24. Si averterit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem &c. morietur in ea. Unde sic argutantur.

Verè justi sunt verè fideles,
At verè justi fidem possunt amittere totaliter & finaliter. Ergo.

Hoc est Palmarium & decumanum Arminianorum telum.

V. Bellarm. de Justif. l. 3, c. 14.

Sol. Si Propheta hîc de totali & finali Sanctorum Apostasia loqueretur, tum quamplurimis aliis Scripturarum locis contradiceret, ut Psal. 92, 12, 13. Jerem. 32, 39. 40. Ezech. 36, 25. 26. Hos. 2, 19. 20. Joh. 3, 36. & 4, 14. & 5, 24. & 6, 35. & 10, 27. 28. & 13, 1. At in S. Scriptura nulla est vera repugnantia, sed apparens tantùm, quippe Scriptores in omnibus quæ scripserunt, semper inspirati & acti sunt infallibili ductu SS. 2. Tim. 3, 16. 2. Pet. 1, 20. 21.

Aut pugnat secum Scriptura, quod absit, aut Bellarm. perperam torquet hũc locum, à tẽporario justo ad verè justum. Paræus.

2. Ergo distinguendum est. Justus est duplex, vel justus per fidem, vel justus per Legem & opera. Loquitur Ezechiel αὐτολεξεὶ de justo per opera, ut patet. v. 5. 6. 7. 8. 9. &c. Non loquitur de verè & Evange-

Est fallacia Homonymiæ justi, & justitiæ. Justus enim hîc non significat verè justum justitiâ justificante corã

Deo; sed eũ quis videtur justus, & larvâ hypocriticâ justitiæ specie se regit. Sharpius.

angelicè justo. nam 1. Verè justus est sicut arbor cujus folia non defluunt at hic avertit se à justitia sua. 2. Verè justus immunis est à periculo æterni exitii. Joh. 6,39. at hic morietur in æternum. 3. Verè justus non facit iniquitatem: at hic habitualiter & plenâ peccat voluntate. 4. Justus hic confidit in justitia sua. Ezech. 33,13. at Electi confidunt in justitia Christi. Loquitur itaque Propheta de Moraliter & apparenter justo, qui justus est externâ professione & suâ opinione, κατὰ δόξαν, non κατὰ ἀλήθειαν; qui aliis videtur justus, ut Pharisæi quos Christus vocat justos. Matt 9,13. non veni vocare justos. Deinde vocantur justi comparativè, & respectu impiorum quibuscum vixerunt.

Non agitur hîc de vera justitiæ radice, sed de externâ specie & apparentiâ. Calv

Inst. Regerunt Arminiani, Prophetã hîc de vera conversione & justitia loqui, ut patet ex contextu. v. 20, 21. 22. 23. 24.

Sol. fatemur Prophetam loqui de verè justo & justitia, nempe Legali, Morali & civili; at non de vera justitia Evangelica, de qua lis est. 2. Dato, non tamen sequitur, ergò verè fidelis potest amittere fidẽ. Loquitur enim Propheta non absolutè & Positivè, cadet justus à justitia sua; sed loquitur Hypotheticè & conditionaliter, *Si recedet justus*. At conditio & Suppositio nihil ponunt in Esse. ut Gal. 1,8. Si Angelus annuntiet aliud Evangelium, &c.

tamen

Digitized by Google

tamen non ſequitur, ergò Angelus aliquis annuntiabit aliud Evangelium; non eſt enim aſſeveratio, ſed Hypotheſis, quæ ſolet plerumque etiam ab impoſſibili deduci. Deinde talis comminatio conditionalis, non eſt cadendi, ſed cavendi medium, quo à defectione ſervamur, & cautiores reddimur, ut noſtram diſcamus agnoſcere infirmitatem, & in ſolo Dei auxilio recumbamus.

Deus minatur ne minas inducat, minatur triſtia, ne in nos triſtia invehat. Chryſoſt.

2. Ob. Qui deleri poſſunt è libro vitæ, ii poſſunt fidem amittere. At verè fideles deleri poſſunt è libro vitæ. Exod. 32,33. Rom. 9,3. Pſal. 69,28. deleantur è libro vitæ, ita Apoc. 17,8.

V. Pleniùs. Pryn. Perpetuity of a Regen. &c. pag. 342. &c. D. Kendall de perſeverant. ch. 4.

Sol. Theologia Symbolica nō eſt argumentativa. 2. DEUS dicitur bifariam ſcribere nos in libro vitæ. 1. Æternâ prædeſtinatione, & hoc æternum Dei conſilium eſt immutabile, qui ſic ſcripti ſunt nunquam delentur. 2. Externâ vocatione & acceſſione ad Eccleſiam, cujus reſpectu deleri dicuntur qui ab Eccleſia deficiunt; hoc ſenſu petit David hoſtes deleri (1) impietatem ipſorum deploratam detegi. 3. Dicuntur ibi ſcripti, non reverà, ſed quia ſic ipſi putabant, & judicio charitatis ab aliis putabantur. 4. Dicitur Deus impios delere de libro vitæ, cùm juſto ſuo judicio declarat eos à ſe

Eſt locutio Metaphorica, nā apud Deum hujuſmodi liber, deletio, & inſcriptio nō extat.

Delentur, cum decla-

se esse rejectos, & nunquam fuisse scriptos in libro viventium: nam si nulla est litura (ut asserunt Stoici) in decretis sapientum; tum nullæ sunt lituræ in libro vitæ, à sapientissimo Deo conscripto. 5. Respicit etiam ad Tabulas fæderis, quibus videbantur contineri, cum essent nati ex patribus. Ezech. 13, 9. 6. Nec aliquid inferri potest ab Extraordinariis illis Mosis & Pauli zelosis exemplis; qui non petunt simpliciter & absolutè, sed condicionaliter, si cum Dei voluntate constare posset, nec rejiceretur Israel.

tantur ibi non esse: & hoc dictum est secundũ eorum spẽ, qui ibi se scriptos esse putabant. August. V. Ravanel. in verbum, Liber. & D. Kendall. de persever. c. 5. p. 67. &c.

3. Ob. Matth. 12, 43. 44. Luc. 11, 24. 25. unde sic ratiocinantur. Si Satan virtute Spiritûs Dei ejectus, potest septem aliis impuris spiritibus assumptis redire; tum verè fidelis potest dona Spiritûs Sancti amittere. At verum est Antecedens, verum ergo & consequens.

Sol. Nego sequelam, licèt enim Diabolus eò redeat, unde fuit ejectus (1) in hypocritarum corda, qui communia possident SS. dona: inde tamen non sequitur, verè fideles, specialia SS. dona posse amittere. 2. Loquitur Christus non propriè, sed Parabolicè, at Theologia Parabolica non est Argumentativa. 3. In omni Parabola tria sunt spectanda. vid. cortex, radix, scopus & fructus. at non est hæ-

In illis quæ Metaphoricè dicuntur, non oportet

rendum

tendum in cortice, sed ad scopum & fructum penetrandum est. finis verò & scopus hujus Parabolæ est, ut doceamur, relapsum in peccatum esse lapsu pejorem; sicut pejor est morbo recidiva morbi. itaque ῥητῶς dicitur, novissimum illius hominis esse pejus principio ejus. v. 45. uti evenit hypocritis. Heb. 6, 4. 5. 2. Pet. 2, 21. at opera Sanctorũ novissima sunt plura & potiora prioribus. Ps. 92, 13. 14. Apo. 2, 19. Christ9 itaq; loquitur de Judæis hypocriticis, non de verè fidelibus: quod & clariùs patebit, si cõsulam9. *v. 45. ita erit & genti huic malæ.* loquitur Christus non de verè renatis, sed de gente mala, contumaci, perditâ, & perversâ, quæ spretâ Dei gratiâ in Evangelio, cũ Diabolo conspirat. Deinde domus hæc & domiciliũ Diaboli tria habet Epitheta reprobis congrua. 1. est σχολάζων (1) vacans & otiosa, ocium verò aperit ostium Diabolo: at gratia in sanctis est quid activum, ideoque comparatur *igni.* 2. est purgata. (1) fide, dilectione, aliisq; virtutibus destitutâ: at domicilium Christi donis spiritualibus & supellectile veræ virtutis est referta. 3. est ornata, (1) propriâ confidentiâ, spe meritorum, ceremoniis externis & operibus Hypocriticis illustrata. at hæc omnia tanquam * stercora se inquinantia aspernatur & abominatur Sponsa Christi. Phil. 3, 8. Ob-

accipere similitudinẽ secundum omnia. Reg.

Vbi Spiritus Dei habitat, ibi Templũ non est vacuum, sed gratiâ ornatum.

σκύβαλα dicuntur illa quæ ex intestinis boum, oviũ, aut pecorũ, canib9 projiciuntur, ἀπὸ τοῦ τοῖς κυσὶ βάλλεσθαι,

quod canibus per contemptum abjiciantur. à Lap.

Digitized by Google

4. Ob. Matth. 24.12. refrigeſcet charitas multorum, ergo amitti poteſt.

Sol. Nodus hic Bellarminianus facilè ſolvitur. 1. Diſtinguendo. Charitas eſt duplex, ficta & hypocritica, vel vera & ἀνυπόκριτος. Charitas ficta & larvata propter abundantiam iniquitatis, nec non propter multitudinem & magnitudinem hoſtium, labaſcit, refrigeſcit, & penitus evaneſcit, ut patet ex contextu. At charitas vera & ſincera prorſus amitti non poteſt (ut ſuprà oſtenſum eſt) ſed per antiperiſtaſin, perſecutionibus & cruce augetur & accenditur. 2. Sam. 6, 22. Cât. 8, 7.

— Et ab obice ſævior ibit.

Non loquitur de electis, etſi enim in eis propter multorum ingratitudinē, perfidiam, & improbitatem, benevolentiæ ſtudium interdum langueſcit, planè tamen nunquam extinguitur. Polan.

2. Dicit Chriſtus, charitas multorum [ſcil. hypocritarum, qui ſcandalizantur cruce. v. 10.] non charitas omnium deficiet. hæc itaque minimè cohærent, charitas multorum (1) hypocritarum refrigeſcet, Ergò & verè fidelium.

Eſt fallacia à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter.

3. Aliud eſt refrigeſcere, aliud charitatem totaliter amittere; aliud eſt gradum nonnullum charitatis diminui, aliud habitum & ſemen penitùs extingui: elangueſcere & refrigeſcere poteſt, quod extingui non poteſt. ut patet. *Apoc. 2, 4.* ubi Chriſtus reprehendit Eccleſiā Epheſinam, quod primam charitatē dimiſerit. non ait abſolutè, charitatem reliquiſti ſed primam (1) tam ferventem ſicut habebas

in

in initio; cum magnus charitatis & fidei fervor apparuit, at jam remissior es, & deferbuit ille fervor. Aliud verò est absolutè & simpliciter, totaliter & finaliter à charitate; aliud à charitatis fervore, & à charitate illa prima, ferventissima & ardentissima excidere. nec ἀφῆκας est penitus amittere, sed nonnihil remittere; nam patet ex contextu. v. 2. 3. Ecclesiam hanc prorsus non defecisse, ait enim Christus, scio opera tua & patientiam tuam, laborâsti propter nomen meum; & *non defecisti*.

Ἀφίημι, idem est quod remitto, indulgeo, laxo. Aretius. Illud ἀφῆκας hîc non omnimodam

ἀγάπην significat, sed τὴν πρώτην (1) illam adeò ferventem. Grotius.

5. Ob. Luc. 8, 13. Petrosi audiũt verbum Dei, recipiunt illud cum gaudio, sed radicem non habent, quia ad tempus credunt, & tempore tentationis abscedunt.

Sol. Hæc recitâsse est refutâsse. At credunt hi (inquit Bellarm.) fatemur, sed fide temporariâ & evanidâ, nam in terminis dicuntur πρόσκαιροι, temporarii, quia radicem in corde non habent: at vera fides finem non novit; sed fructum parit cum patientia & permanentia [v. 15.] quia altâ radice fundatur. Quod autem fictum est, in principio vernat, in processu tanquam flosculus difflatur: Uti Balduinus ille Cantuariensis, ad quem Urbanus Pa-

Est fallacia Homonymiæ in Voce, Credere.

Sementem & primordia quædam fidei habent & reprobi; ad germen

P pa-

ad herbam, fortasse ad spicam procedunt, sed ad veram frumenti naturam nunquam pertingũt. Abbot.

pa; Baldvino Monacho ferventissimo, Abbati calido, Episcopo tepido, Archiepiscopo remisso. Hinc protritum illud, de terra frugifera & infrugifera.

Prima perit, perit altera, & altera, quarta perennis.

Inst. At gaudent hi in Verbo; ergo verè credunt.

Sol. Nego sequelam, gaudebat enim Herodes [Marc. 6, 20.] qui longè abfuit à vera fide. gaudent & hi, at non ex vero sensu gratiæ, sed ex spe commodorum terrenorum.

Inst. v. 18. Comminatur Christus à non habente se ablaturum quod habet.

Sol. Præcedens Solutio solvit & hunc nodum, loquitur enim Christus de petrosis, duris & spinosis Judæis, qui à se vel initia fidei & veræ conversionis repellebant; ab iis auferetur quod habent, (1) quod videntur habere. Tollitur itaq; gratia Specie & apparens, non gratia realis & salvifica, de qua lis est.

6. Ob. Joh. 15, 2. 6. Aliqui palmites in vite Christo tolluntur & deficiunt. &c.

Est homonymia in Voce Palmites, omnes enim qui externâ vocatione ad

Sol. Palmites sunt duplices, Veri, vel ficti; feraces & verè fideles, de quibus v. 2. vel Steriles & hypocritæ, qui nomine tenus (1) externâ tantùm Specie & professione sunt palmites, at hi deficiant; tales enim

Digitized by Google

enim vocantur Palmites, Largè & Æquivocè, non strictè & Univocè.

Christum vocantur, & fidem in Christo profitentur, Palmites Christi dicuntur, sed ὁμωνύμως. Polan. Syntag. l. 6. c. 43.

Inst. At inseruntur in Christum, Ergò sunt verè fideles.

Sol. Insitio est duplex. 1. Coram hominibus, in Ecclesiam Visibilem, Verbo & Sacramentis. 2. coram Deo, in Ecclesiam invisibilem unitate formæ & verâ grariâ. illa est externa videl. fide hypocritica & nuda professione, & tales quia fructum non ferunt excinduntur, ut Judas, Simon Magus &c.

Non omnes foris insiti Ecclesiæ per professionē oris, etiam intus sunt insiti Christo per fidē cordis.

Hic è vite aufertur (1) hypocrisi detectâ ad Christum non pertinere declaratur. Piscat.

Altera insitio est interna, Realis, & spiritualis, & tales quia fructum ferunt, non excinduntur. Hi vocantur Palmites Univocè & Strictè. Hos pater non αἴρει, sed καθαίρει; non tollit, sed purgat Αἴρεσις enim fit sine omni Spe restitutionis; at κάθαιρεσις fit respectu boni palmitis, ut fiat fructuosior.

7. Ob. Rom. 11, 19. 20. &c. Judæi qui fuere rami oleæ, defracti fuere, Ergo verè fideles possunt amittere fidem.

Sol. Non sequitur. Paulus enim non loquitur de singulis fidelibus, sed de toto

Gentium & Judæorum corpore, in quo multi fuere hypocritæ permixti, fidem profitentes, magis quàm habentes. disputat itáq; hoc loco de vocatione externa, & falsa fidei professione seu potius jactantia: reprehendit enim istos jactabundos qui proximum præ se contemnunt, & vera fide præditi non sunt, quia tamen fidem profitentur; pro fidelibus ab Ecclesia habentur, donec deficiant.

Loquitur de Visibili Ecclesia, at Visibilis Ecclesiæ membra possunt deficere, imò tota visibilis Ecclesia quà talis. Sharpi & D. Reynold. in Psal. 110, 2. p. 281.

2. Rami sunt duplices, fideles vel infideles, loquitur expressè Apostolus de ramis per infidelitatem defractis. v. 20. neq; enim omnes rami fuere Electi, quia non omnes nati ex Abrahamo sunt filii. c. 9, 7. Deinde comminationes istæ non ad solos Electos, sed ad universum Ecclesiæ corpus diriguntur; at quod universo corpori dicitur, id statim singulis accommodari non debet: sæpè enim universum alicujus Ecclesiæ corpus propter infidelitatem perit, nec tamen in eo pereunt ulli Electi. Sicut Ecclesiæ Asiaticæ propter incredulitatem excisæ sunt, veruntamen ne unum Electorum ex illis cætibus periisse dicamus, nec ab interna Christi communione fuisse, defractum.

Quamvis Ecclesia Catholica nunquam potest funditùs interire, tamen quævis Ecclesia particularis potest à vera religione excidere. Davenant.

Inst. Qui fide stat est verè fidelis, at hic fide stat. v. 20.

Sol. fide stat externa professione, uti

Ju-

Judas, S. Magus, Hymeneus &c. at non interna gratia.

Inst. At jubentur permanere in bonitate Dei, Ergo non fuere hypocritæ. v. 22.

Sol. Nego Sequelam; nam quamplurimi jubentur permanere in bonitate Dei, qui non sunt reverà boni in foro Poli; sed tantùm judicio charitatis & in foro Soli. E. g. Si quis profitetur fidem Christi, hic judicio charitatis erit verè fidelis & in Dei bonitate erit, cum tamen in judicio Dei cui omnia patent, sit merus Hypocrita.

8. Ob. Rom. 14, 15. & 1. Corint. 8, 11. ne perdas illum pro quo Christus est mortuus. Hic perdi possit, pro quo Christus est mortuus.

Sol. Fallacia latet in τὸ *Perdere*, quod hîc non est damnare, sed scandalo percellere, & conscientiam alicujus offendere. v. 21. & sic, non Simpliciter & absolutè, sed quantum in nobis est, in ruinam trahere. Electi enim licèt respectu propriæ imbecillitatis, & ratione Scandalorum perdi possint; tamen quoad decretum Dei immutabile perire non possunt. Proinde Apostolus in 1. Cor. 8, 11, per vocem *Peribit*, non finalem interitum, sed fidei concussionem aliquam & imbecillitatem intelligit; quam v. 12. vulnerationem eorum

Infirmari dicitur cujus conscientiæ trepidatio aliqua injicitur. Offendi, cujus conscientia graviori perturbatione concutitur. Impingere, qui quodammodo alienatur à studio religionis. Calvin.

conſcientiæ appellat. Aliud autem eſt vulnerare, aliud occidere.

3. Cum dicit, pro quibus Chriſtus eſt mortuus, non loquitur de æterno Dei conſilio erga illos, pro quibus filium ad mortem tradidit; ſed loquitur charitativè, nam omnes fidẽ Chriſti profitentes, pro redemptis habet charitas Chriſtiana.

9. Ob. 1. Cor, 9, 27. Paulus fuit verè fidelis, At ille metuit, ne fieret reprobus.

Sol. Nego minorem. nam Paulus non dicit ſe metuere, ne ex Electo fiat reprobus, ipſi enim Pontificii aſſerunt, Paulum fuiſſe certum de ſua ſalute per peculiarem & extraordinariam revelationem. Deinne, utitur mediis à Deo ad ſalutem conſtitutis, nam quicunque hanc ſperat, hunc oportet caſtigare corpus ſuum. Hezechias certus erat ſe victurum annos quindecim, attamen quotidie comedebat, ne moreretur, non quia incertus eſſet, ſed potius ut certus eſſet: ita Paulus hîc caſtigat corpus ſuum, ne cum aliis prædicaverit, ipſe fiat reprobus (1) reprehenſibilis apud Deum & homines: nec ſolicitudo hæc Electionis certitudini opponitur, ſed carnis ſecuritati.

Apoſtolus macerat corpus ſuum, & animæ ſubjicit imperio, ne quod aliis præcipit, ipſe non ſervet. Hieron.

2. Di-

2. Distinguendum est de Voce Reprobus. 1. quàm sæpissimè opponitur Electo ad vitam, & hoc sensu Paulus non metuit ne fieret Reprobus, certus enim erat de sua salute. Rom.8,38. 2.Tim.1,12. & 4,7.8. 2. opponitur τῷ δοκίμῳ. (1) puro, probato syncero, irreprehensibili; & ita metuant Electi ne in officio suo inveniantur impuri, improbati, reprehensibiles.

V.Pleniùs. Leigh. in verbo ἀδόκιμος. & Ravanel. in V.Rejectaneus.

10. Ob. Gal.3,3. & 5, 4. Galatæ fuere verè fideles; At Galatæ exciderunt à Gratia. Ergò:

Quomodo possent evacuari à Christo,& gratiâ excidere,si in Christo& in gratia verè non fuissent. Bellarm.

Sol. Si major propositio sit indefinita & universali æquipollens, negatur, nam non omnes Galatæ fuere verè fideles, ideoque eos redarguit Apostolus. Deinde, si Minor sit universalis, Negatur, nam nō omnes Galatæ dicuntur excidisse à Gratia, sed ii tantùm qui per legem justificantur (1) fide & operibus simul justificari volebant.

2. A gratia excidere, hîc non est à fide justificante deficere, sed doctrinam Evangelii repudiare, [Gal. 1, 6. Col. 1,6. Heb.12,28. 2.Cor.6,1. Ephes. 3, 2.] & ab Evangelio anteà recepto prolapsum esse. q.d. prolapsi estis ab Evangelio ad legem, a doctrina & statu gratiæ, ad doctrinam & statum Legis.

Nomine gratiæ intelligitur doctrina gratiæ. Sharpius.

3. Si largiamur Gratiam hanc fuisse

Regenerationis gratiam, nihil tamen inde lucrabuntur Arminiani; quia licèt Apoſtolus dicat Galatas à gratia excidiſſe, totaliter tamen & finaliter excidisſe, nullibi affirmat. Quin etiam electi nolunt per legem juſtificari, ſaltem finaliter, licèt ad tẽpus in tali errore, ex ignorantia vel infirmitate hærere poſſint.

Concedo inter Galatas aliquot fuiſſe verè pios, qui ſeducti putabant ex ignorantia, opera Legis ad ſalutem fuiſſe neceſſaria; hi dicuntur excidiſſe à gratiâ (1) à doctrina Evangelii, non prorſus & ex animo defeciſſe. Zanch.

4. Dato, hos totaliter & finaliter excidiſſe à gratia, tum liquet, eos nunquam veram habuiſſe gratiam. 1. Joh. 2, 19. egreſſi ſunt è nobis, quia ex nobis non erant. Eleganter *Gregorius. Aurum quod pravis Diaboli perſuaſionibus, ſterni ſicut lutum potuerit, aurum ante oculos Dei nunquam fuit: qui enim ſeduci quandoq; non reverſuri poſſunt, quaſi habitam ſanctitatem ante oculos hominum videntur amittere, ſed eam ante oculos Dei nunquam habuerunt.*

Greg. Moral. l. 34. c. 13.

5. Dato, loquitur tamen Apoſtolus non de ſingulis verè fidelibus, ſed de tota Eccleſia in qua latent quamplurimi Hypocritæ: aliud verò eſt loqui de fide totius cætûs, aliud de fide ſingulorum. Apoſtolus autem more Scripturæ omnibus tribuit, quod erat partis; & toti corpori Eccleſiæ, quod erat aliquot membrorum, ut omnes magis afficiat.

Cum major pars cætûs quæ eſt hypocritarum, in aliquo cætu deficit, dicitur quidem cætus deficere, ſed non ideò deficit fides verè fideliũ. Paræus.

6. Da-

Digitized by Google

6. Dato non concesso, Apostolum de verè renatis loqui, nihil contra nos concludet: nam comminatio est conditionalis, *Qui lege justificamini.* (1) Si justificati estis ex lege, excidistis (1) pro certo excidetis à gratia, at conditio nihil ponit in esse.

Inst. At dicuntur accepisse Gratiam & Spiritum.

Sol. Estò, sed externâ professione, ut hypocritæ qui videntur esse in gratia Dei; & accipiunt Spiritum (1) dona Spiritûs communia.

Inst. At dicuntur ὄντως à gratia excidisse, & Spiritu incepisse.

Sol. Loquitur Apostolus non de iis qui verè sunt regeniti per Spiritum S. sed de iis qui Spiritûs initium & rudimenta quædam acceperunt, & gustaverunt cæleste donum, ideoque dicuntur Spiritu incæpisse; at tales à tali Gratiæ initio penitùs excidunt ut patet. Matth. 13. v. 20. Hebr. 6, 4. &c.

Inst. At Galatæ omnes dicuntur filii Dei. Ergò fuere verè fideles. Galat. 3, 26.

Sol. Nego Sequelam, Ratio est, quia multi in scriptura appellantur filii DEI judicio charitatis & respectu fœderis; qui nunquam fuere verè fideles. ut constat. Exod. 4, 22. Rom. 9, 4.

Inst. At Galatæ conversi fuerant à Paga-



Digitized by Google

nismo ad Christianismum, Ergò fuere verè fideles.

Sol. Non sequitur. nam omnes qui convertuntur à Paganismo ad professionem Christianismi, non statim convertuntur adChristum; ut patet ex multorum Apostasia.

11. Ob. Heb.6,4.5.6. & 10,26.29. Hinc colligunt Remonstrantes, verè renatos posse in exitium irreparabile incurrere, & per consequens, gratiam Dei amittere.

Sol. Hoc nihil ad rhombum. Textus enim loquitur de alliis, & somniant hi de cepis. Loquitur de hypocritis, reprobis & Apostatis qui malitiosè peccant in SS. quos renovari ad pænitentiam est impossibile. at tale peccatum non cadit in Electos. 1.Joh.3,9.& 5,16.17.18. 2. loquitur de eis quæ gustum habẽt SS.sine verâ sanctificatione, sed cum aliqua delectatione & immutatione mentium, & sensu rerum cælestium. ut in Herode, Juda, S. Mago. & tales penitùs possunt deficere. at Quæstio nostra non est de reprobis, sed de Electis, qui non deficiunt. vers.9. Brevi, loquituur Apostolus non de partiali aliquâ, sed de totali & finali ἀποστασίᾳ:

Spiritus illuminationis amitti potest, at nõ Spiritus adoptionis, manet consolator, manet Vnctio. Joh.14,16. 1.Joh.2,27. Scultet.

Aliud est affici pro tempore ut Herodes; aliud perfici & obsignari in vitam æternam ut Electi.

Dicuntur gustâsse donum cæleste, at non salutari modo sensisse, nec verâ fide Christum comedisse.

Non loquitur de quovis peccato ex ignorantia aut metu, reluctante conscientiâ admisso; sed ἑκουσίως,

Digitized by Google

σίᾳ. non de lapsibus sanctorum, sed de peccatis reproborum, ut patet è Textu. 1. in totum à Christo deficiunt. 2. gratiam ejus prorsus rejiciunt, Filium DEI conculcant, Spiritum gratiæ contumeliâ afficiunt, idque non ex infirmitate aut ignorantia, sed voluntariè, malitiosè & pertinaciter. 3. pro tali peccato nulla est hostia, quia impossibile est hos pœnitentiâ restitui. Postremò loquitur Apostolus non absolutè, Positivè & Catechoricè; sed hypotheticè & conditionaliter. Si prolabantur, at comminatio hypothetica nihil ponit.

spontaneo voluntatis motu (1) deliberato consilio & destinatâ malitiâ commisso. Scultet.

Inst. At dicuntur sanctificari. Heb. 10, 29.

Sol. Sanctificatio est multiplex, externa & fœderalis; interna & Realis. Loquitur Apostolus non de sanctitate Reali, sed de sanctitate externa & fœderali. eo nomine vocat Romanos omnes & Corinthios, sanctos, Rom. 1, 7. 1. Cor. 7, 2. ita judicio charitatis & Synecdochicῶς, omnes qui sunt in Ecclesia; etiamsi non sint de Ecclesia & verè sancti, sancti tamen & sanctificati per sanguinem Christi dicuntur, sed καταχρηστικῶς & impropriè, propter externam speciem & communionem cum reliquis Ecclesiæ membris in verbo & Sacramentis: ita sancti dicuntur non ἀληθῶς, sed δοξαστικῶς & opiniativè.

Hypocritæ dicuntur sancti Æquivocè (1) respectu externæ professionis & Vocationis; Soli verò electi verè & univocè sanctificantur & renovantur intus. Tilen. Charitas omnes habet pro verè conversis, qvi fidem & pœnitentiâ profitentur. Paræus, V. plura apud Laurentium in loca difficili. locus 308 p. 492.

12. Ob. 2. Pet. 2. 20. 21. 22. Canis revertitur ad vomitum, &c.

Sol.

Sol. At verè fideles non ſunt canes & ſues, loquitur itaque Apoſtolus non de verè renatis, ſed de leviter lotis, & externâ profeſſione purgatis: nam canis poſt vomitum manet canis, quia vomitum ſuum rurſus devorat, & ſus lota manet ſus, licèt ad tempus videatur munda, quia redit ad volutabrum luti. ſic hypocritæ ſunt hypocritæ licèt agnitâ veritate erroribus & ſordibus renuntient, tamen ad vomitum & volutabrum revertuntur, & poſteriora illis fiunt deteriora prioribus.

Hi prorſus & totaliter lapſi, toti, à toto, in totum. Juni°.

2. Nonnulli locum hunc de peccato in SS. exponunt, & conferunt cum Heb. 6,4. & 10,26. utut eſt, conſtat Petrum non loqui de fide ſalutifera, ſed de doctrina fidei, ejuſque externâ profeſſione.

Inſt. At dicuntur effugiſſe inquinamenta mundi.

Sol. Eſtò, ſed judicio charitatis, quia flagitia, errores & Gentiliſmi Idololatrias, ad tempus omittebant, & baptiſmum ſuſcipiebant, non judicio ſcientiæ & certitudinis.

Inſt. At Pſeudoprophetæ dicuntur ineſcare illos qui ὄντως (1) verè effugerant errores. v. 18.

Sol. Verum eſt de illis qui ex Judaiſmo & Gentiliſmo ad Chriſtianiſmum fuerant converſi; at non omnes hi fuere verè con-

conversi. nam ut rectè observavit doctiss. Zanchius, Apostolus non loquitur de vera & plena ab impietate ad pietatem conversione; sed tantùm de conversione non simulatâ, ab erroribus ad veram scientiam; quæ conversio non semper affert cordis renovationem, sed sæpè in intellectu tantùm locum habet. Quot enim etiamnum sunt, qui relicto papatu & impiâ doctrinâ piã religionem amplexi sunt, non tamẽ verè in Christo insiti. Zanch. Miscel. de perseverant. sanctor. mihi. p. 141.

2. Verum est κατά τι, & secundum quid. vid. quoad judicium humanũ, quod quamdiu videt proximum à turba errantium se segregare, & cœtui credentium se aggregare, eandemq; cum illis religionem profiteri & exercere, habet illum pro verè credente; etiamsi multi qui pro talibus habentur, tales reverà non sint. Spectato tũ ipsorum tũ Ecclesiæ judicio, dicũtur ὄντως credere. Zanch.

3. Nonnulli codices legunt ὀλίγως (1) paululum effugerant peccatum & falsam doctrinam, tales novitii recenter â Judaismo vel Gentilismo ad Christianismum conversi, quia sunt rudes & infirmi facilè inescantur ab Hæresiarchis. Complutẽs. Stephanus.

Inst. Quidam Dominum qui illos mercatus est abnegant. 2. Pet. 2, 1.

Sol. In promptu est responsio. Aliquis redemitur, vel κατὰ δόξαν, vel κατὰ ἀλήθειαν. Rediminuntur hi κατὰ δόξαν, quia bapti-

baptizati erant in nomine Christi, & fidem Christi profitebantur, ergò Petrus charitativè opinatur eos esse verè redemptos, donec contrarium ex doctrina, & ex factis eorum appareat; nam de occultis non judicat Ecclesia.

Judicat de iis ut nos judicare possumus, animum enim solus Deus novit, at ex Symbolis & externâ professione nos judicamus.

13. Ob. Cui bono sunt omnes in S. Scriptura comminationes, exhortationes &c. ut timeant, ut caveant, ut solliciti sint [1. Cor.10,12. Phil.2.12. 1. Thes.5,19, Rom.11,18. Heb.3,12.13. & 10,35. 2. Pet.3, 17.] Si verè fideles funditùs perire non possint?

Corona gloriæ præparata electis amitti non potest, tamē ut non amittatur, Deum efficere variis modis, horum unū esse timores & terrores quibus sollicitudo ac vigilantia excitatur. Bellarm. de grat. & lib. arb. l.1. c.13.

Sol. Non sunt frustraneæ aut illusoriæ tales cautiones; nam minatur Deus, ne minas inducat, & per tales comminationes conditionales efficit Deus in renatis, ut non prolabantur, absterrendo eos ab apostasia, & excitando in eis timorem, vigilantiam & cautelam. proinde tales exhortationes non sunt cadendi, sed cavendi & perseverandi media, quibus fides nostra conservatur, carnalis securitas depellitur, & nos nostræ imbecillitatis admonemur. Est itaque fallacia non causæ pro causa. Deinde ad loca Scripturæ breviter respondeo. 1. Cor.10,12. non dicit Apostolus qui stat, sed ὁ δοκῶν, qui sua opinione & sibi videtur stare. Loquitur itaq; non de verè fidelibus qui verè stant, sed de hypocritis, qui putant se verè credere & fortiter stare, ideoque securi sunt.

2. Re-

2. Respondeo ad Philip. 2, 12. distinguendo de Timore. Timor est duplex, servilis, & filialis; hæc dubitationem, illa sollicitudinem cum humilitate generat, & fiduciam in Deo confirmat, ita ut tremor hic cum exultatione piâ consistat, Ps. 2, 11. hinc Christus ipse timuit, ut exemplo doceret, timorem omnem non esse frustraneum, ubi perseverantia est certa. *Scitè & sanè Augustinus. Duobus hîc malis adhibetur medicina; securitati timor, superbiæ tremor: operamini salutem vestram cum timore, ne securi Deum peccatis vestris offendatis: cum tremore, ne superbiâ vestrâ Deum à vobis alienetis.*

Quia metuunt Renati ideò non cadunt, quia cavent cadere. Parae.

3. Reliquæ exhortationes non eò spectât, ut fidei securitatem nobis excutiant, sed ut carnis nostræ desidiam corrigant.

14. Ob. Vociferantur Arminiani, hanc de perseverantia Sanctorum doctrinã, pietati esse noxiam, securitatis nutricem, carnis pulvinar, licentiæ magistram, ideoq; eliminandam esse.

Sol. 1. Allegare incommodum & inconveniens non est solvere argumentum. 2. si perseverantiæ doctrina licentiam parit, tum Prophetæ, CHRISTUS & Apostoli culpandi sunt, qui eam Ecclesiæ commendârunt. 3. Hæc doctrina rectè intellecta, fidem fovet, spem sustentat, amorem accendit, gratitudinem incitat, fiduciam corrobo-

finis infallibilitas (ut loquuntur Scholastici non tollit, sed

rat,

stabilitu- rat, conſcientiam tranquillat & nos in o-
ſum medio- mnibus cautiores reddit. Proinde Apo-
rum. ſtolus quaſi indignabundus hanc carnalis ſecuritatis conſequentiam prorſus reſpuit. Rom. 6, 1. 2. quaſi non modò incongruitatem, ſed & impoſſibilitatem innueret. Sanctiſſimi enim qui certè ſibi ſpondent & conſtantiam in via, & fruitionem in vita, ſimul nôrunt, hæc non præſtari ſine ſanctimonia. 1. Joh. 3, 2. 3. Phil. 3, 20.

4. Siqui abutantur hâc doctrinâ ad carnis ſecuritatem, hoc non fit doctrinæ, ſed ipſorum abutentium vitio: at abuſus non tollit uſum, nec vitium perſonæ tranſit in rem: culpa enim eſt in carnalibus hominibus, quibus & Chriſtus ipſe eſt Petra ſcandali, & Evangelium eſt odor mortis, & libertas Chriſtiana eſt licentia carnis.

5. Contemplemur Eccleſias Reformatas in quibus viget hæc perſeverantiæ fiducia, nunquid inde concupiſcentiis fræna laxantur, num pietas peſſundatur? at vice verſâ, ſpectemus Eccleſiam Romanam quæ ſuam à libero arbitrio ſuſpendit perſeverantiam. quot in illâ adulteria, ſtupra, homicidia. &c. necnon id genus ſcelera, veræ pietati, totiq; religioni perniitioſa? ἐποχὴ itaq; & dubitatio Papiſtica, eſt conſcientiæ carnificina, deſperationis officina, limen inferni, Sacris Scripturis & conſolationi fidelium omninò repugnâs.

15. Ob.

Digitized by Google

15. Ob. Licèt Deus non eripiat, homines tamen possunt abjicere fidē suâ negligentiâ, & libero arbitrio Christum deserere, à gratia excidere, conscientiæ naufragium facere, & præsentem mundum amplecti; quia fides eorum est infirma, fluxa, evanida.

Sol. Hoc est illud ἓν μέγα, primarium & palmarium Arminianorum καταφύγετον. At commentum est merè Jesuiticum. Nulli enim abjiciunt fidem, nisi quibus Deus totaliter subtrahit gratiam: at nullis verè fidelibus subtrahit gratiam totaliter, imò efficit voluntatem non abjiciendi, ita ut nec velint, nec possint à fide penitùs deficere, quia virtute Dei custodiuntur, & si ceciderint non colliduntur, quia Dominus supponit manum. Qui dedit inchoare, ille dabit perficere, & sicut ille operatur ut accedamus, sic & ipse operatur ne discedamus; juxta dulcissimam Dei promissionem. *Ier.32,39.40. pangam illis fœdus perpetuum, fore ut non avertam me à benefaciendo ipsis, & reverentiam mei indam animo ipsorum ut non recedant à me.* ut Ezech.36,21.

Vt custodiat nos per fidem, custodit etiam in nobis fidem ipsâ. Abbot Deo volenti salvum facere, nullum hominum resistit arbitrium; sic enim velle & nolle in nolentis aut volentis potestate est, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. August. de corrept. & Grat. c.14.

Hæc promissio non est conditionata, quia conditio esset nugatoria, q.d. dabo ut non recedatis, si non recedatis; ut perseveretis, si perseveretis. Rivet.



Digitized by Google

2. Vera fides quamvis infirma & exigua, non lampas accensa, sed linum fumigans, & instar grani sinapis, penitus tamen extingui non potest; nam sicut à Deo est, ita per Deum habet vim cœlestem & immortalem, & utcunq; prematur angustiis, magnis confligetur difficultatibus, & fluctibus tantùm non obrui videatur; è medio tamen gurgitis tandem eluctatur & emergit, montes difficultatum removet, ne itineri nostro ad Deum impedimento sint. fides itaq; justificans, sive sit major, sive minor, sive fortior, sive imbecillior, nunquam penitùs deficiet, Cant. 2.13. & 7, 12. Matth. 12, 20.

3. Resp. Possunt Electi à gratia excidere, & non possunt; si spectetur contingentia voluntatis humanæ, & imbecillitas naturæ in renatis, si insidiæ & potentia Satanæ, si vis persecutionis & Scandalorum; possunt sanè verè fideles excidere & perire, nec ad momentum quidem subsistere: Si verò spectetur decretum Dei immutabile de servandis Electis, si vis intercessionis Christi, si * omnipotentia Dei &c. ita impossibile est ut funditus pereant Nititur itáq; hæc verè fidelium perseverantia non firmitate virium ipsorum naturalium, quæ est ipsâ imbecillitate imbecillior: sed nititur efficaci Spir. Sancti in cordibus Electorum operatione, quâ verè fide-

Possunt perire. 1. Ratione sui, seu sibi relicti; quia sunt homines, quibus nihil est infirmius. 2. Ratione Satanæ, cujus potentia est formidabilis. &c. Paræus.

* Domini jubent, non disputant; & quæ volunt potentes, agunt, o-

fideles non tantum viribus supernaturalibus donantur, sed insuper adversus omnes hostes custodiuntur.

mnes. Aristot.Polit. V.Fusius. D.Reynold. in Psal.110,2. p.284.

16. Ob. Qui facit actum infidelitatis is perdit habitum fidei, ( inquit Bellarm. ) at verè fidelis potest facere actum infidelitatis: Ratio est, quia habitus non impedit actum contrarium.

Sol. Negatur Major, nam ut actio una non denominat hominem; ita actus unus non perdit habitum e. g. Moses fuit verè fidelis, at ille Petram pro una vice bis percussit, [Num.20,11.12.] hic fuit actus infidelitatis, at nemo sanus ideò dicet eum perdidisse habitum fidei. Impediat quidem infidelitas operationem fidei, sed non tollit eam, ut videre est. Luc.1,18.20. Matth.26,70.

2. Si per actum infidelitatis intelligitur actus destinatæ & pervicacis malitiæ, ut Heb.10,26. tum Negatur Minor, nam talis actus non cadit in Electos.

3. Minoris ratio, non de habitu confirmato & immutabili, sed de infirmo, imperfecto, mutabiliq; valet habitu: nam habitus veræ fidei, virtute Dei est firmus in multis, & actum contrarium impedit.

17. Ob. Omnes baptizati sunt Regene-



Digitized by Google

rati;at multi ex his deficiunt finaliter. Ergo.

Hîc non quæritur de perseverantia fidei infantum, qui fidem habeant Potentialem & inclinativam, nec perseverare nec deficere propriè loquendo possunt; sed de perseverãtia fidei adultorum, quorum propriè est perseverare vel deficere; & qui fidem habent Habitualem & Actualem. Paræus.

Sol. Brevi respondeo, Quæstio non statuitur de Infantibus, sed de actu credentibus; non de Regeneratis Sacramento tenus, largo sensu, & judicio charitatis: sed de justificatis per veram fidem justificantem, stricto sensu, & judicio scientiæ & (quantum in nobis est) certitudinis: Non de justificatis secundùm Ecclesiam, sed de Vocatis secundùm propositum. Elumbe est itáque hoc Arminianorum telum.

Instat Bellarm. At infantes appellantur Sancti. Rom. 11, 16. & 1. Corinth. 7, 14.

Sol. Sanctitas est duplex. Externa & fœderalis; vel interna, Realis & qualitativa. Infantes habent sanctitatem externam & fœderalem, sunt enim Ecclesiæ cives, & cum Parentibus confœderati. Gen. 17, 7. licèt quoad naturam sint filii iræ, tamen quoad fœdus nuncupantur filii Dei. Eze. 16, 20. & 23, 37. at soli Electi sanctitatem habent internam & realem.

Inst. At omnes baptizati dicuntur induisse Christum.

Sol. Respondet Augustinus. Induunt homines Christum aliquando usq; ad Sacra-

Digitized by Google

cramenti perceptionem, aliquando usque ad vitæ sanctificationem; primum illud & bonis & malis potest esse commune; hoc autem alterum proprium est bonorum. Aliud enim est baptizari aquâ, cum Simone Mago, aliud baptizari in Christo, & Christum fide induere: multi Christum induunt Sacramento tenus, qui reverà eum non induunt. Rom. 2, 28. 29.

18. Ob. Omnes Hæretici (inquit Bellarm.) amisere fidem;
At omnes Hæretici veram habuere fidem,
Ergo, Aliqui qui veram habuere fidem, amittant eam.

Sol. Negatur Syllogismus, quia insunt quatuor termini. nam τὸ fides in Majori denotat fidem historicam; in Minori, fidē salvificam, quæ valdè discrepat à fide Hæreticorum: ut liquet è 1. Cor. 11, 19. oportet esse hæreses inter vos, quare? ut qui probati sunt, οἱ ἀδόκιμοι (1) qui sinceri sunt in fide, manifesti fiāt: & è regione, ut ὁ ἀδόκιμοι, Apostatæ & hæretici, qui sunt in Ecclesia ut putridi humores sunt in corpore, licèt non sint de Ecclesia, omnibus innotescant, & fidem eorum fuisse fictam palàm fiat. Est fallacia ὁμωνυμίας

19. Electi nonnunquam possunt meritò excommunicari. Ergò possunt & à Gratia excidere.

Sol. Non ſequitur. Nam actus Excommunicationis non excludit à myſtico Chriſti corpore; neque in totum à viſibili Eccleſia, ſed tantùm à ſacrorum officiorum cum viſibili Eccleſia communicatione. Non ergo excommunicatus omnis fit eo ipſo non juſtificatus, imò quia juſtificatus, ideò non manet excommunicatus; quippe generatione cæleſti conſervatus, ne malignus tangat eum, niſi fortè ad interitum carnis; ne per impœnitentiam omninò exeat foràs, qui jam per pœnam hæret in limine, nec penitus adhuc diviſus eſt: nam excommunicatio eſt flagellum piæ matris in pravum filium, quem non quia flagellat, ideò habet pro non filio, ſed caſtigat graviter ut emendet, ne fiat omninò non filius; quem Chriſtiani fratres non habere debent pro inimico & nō fratre, ſed tanquam fratrem admonere, & Spiritu lenitatis inſtaurare; ne quod luxatum eſt, abſcindatur. Colophonem addet noſter Ameſ. verè fidelis eoſque prolabi poteſt, ut hoc remedium neceſſariò circa ipſum debeat adhiberi, ſine effecto illo perditionis quod per accrdens inde conſequi ſolet, fidelis tamen ille qui merito excommunicatur (ut quidam capite diminuti dicuntur civiliter mortui) Eccleſiaſticè & viſibiliter dici poteſt à regno Chriſti excluſus. Nam Eccleſiaſticè cen-

Nec qui nō-nunquam (ut Nebuchadnezar poſſesſione deturbatur, amittit jus hæreditariū, à quo pro tempore excluditur. Pater quoties filio prodigo iraſcitur, toties illum non expungit ex natorum genealogia: nec cum incipit ſeverè caſtigare, deſinit ſincerè amare. Prideauxius.

Ameſii Anti-ſynodalia cap. 11. p. 400

Digitized by Google

censuræ non procedunt secundùm interna, sed illa quæ apparent: neque excludunt quenquam à regno Christi propriè & effectivè, sed declarativè tantùm. &c. cui suffragatur doctiss. Prideauxius excommunicatio (inquit ille) non evellit fidei fibras, sed amputat impietatis sarmenta, unde excommunicatus non desinit esse in occulto membrum Ecclesiæ; utcunque quoad externam disciplinam pro tempore exterminetur.

20. Ob. Restant ultimò, Exempla eorum nonnulla quæ (referente Bellarmino) fidem & charitatem penitus amisêre. & hæc sunt tripartita. 1. impertinentia & ἀπροσδιόνυσα.

ut { Angelorum & Primorum parentũ } qui fidem amisere Legalem, non Evangelicam.

2. Exempla { * Saulis, Judæ, Simonis Magi, Hymenæi, Alexandri. Demæ. } Qui fidẽ temporariam & Historicam amiserunt.

* Ecce quales sint Arminianorũ & Pontificiorum Sancti & verè fideles!

3. falsò & Sophisticè producta, ut Exempla { Davidis. Salomonis Petri. } Qui fidẽ justificãtem non amisere.

1. Ob. Angeli mali & primi parentes fuere justi;
At Angeli mali & primi Parentes excidêre à gratia.

Titulus fidei ad cælũ est æternus, nihil certius quàm quod fide est certum, ne ipsissima quidem possessio; illa enim fuit amissa, hic nunquam.

Sol. fatemur, at unà fatemur hoc ne γρὺ quidem ad rem. Lis enim nostra est de hominibus verè renatis, at Angeli mali, nec homines fuere, nec Renáti. Deinde, quæstio statuitur de Justitia Evangelica per fidem, non de Justitia inhærente, quæ data fuit à Creatione, & simul fuit primorum parentum. At hæc δὶς διὰ πασῶν discrepant, ut in sequente patebit Parallelo.

| | |
|---|---|
| 1. Justitia Angelorum fuit justitia Creationis. | Justitia verè Renatorum fuit justitia Redemptionis. |
| 2. Illa fuit inhærens. | Hæc imputata. |
| 3. Justitia primæva fuit naturalis. | Hæc supernaturalis |
| 4. Illa Legalis. | Hæc Evangelica. |
| 5. Illi perseverantiæ donum non habebant. | Habent hoc Renati, tum ex promissione Dei, tum ex Christi Intercessione, & Spiritûs obsignatione. |
| 6. Angeli mali fuere Reprobi. | At verè Renati sunt Electi. |

7. Ada-

Digitized by Google

| | |
|---|---|
| 7. Adamus in ſtatu integritatis, gratiā accepit quâ potuiſſet, ſi voluiſſet, perſeverare; ſed nō accepit, quâ vellet. | At Renatis data eſt gratia quâ perſeverare & poſſint, & velint. |
| 8. Ille ſtetit Naturæ viribus. | Hi virtute Dei cuſtodiuntur ad ſalutem. |
| 9. Ille caruit Mediatore. | Hi Chriſtum habent Mediatorem, ſemper pro illis intercedentem. |
| 10. Hic fidem habuit in Deum Creatorem. | Hi in Chriſtum. |

2. Ob. Saul fuit verè fidelis, at ille excidit à gratia totaliter & finaliter, Ergo, omnis verè fidelis ità cadere poteſt, nam quod convenit tali, qua tali convenit omni tali.

Majorem probant è 1. Sam. 9, 2. Saul fuit Electus & bonus; ita habet verſio vulgata, cui aſtipulatur Arias Montanus, & huic Verſioni favere videtur ipſe Textus Hebraicus; nam Bachar juvenis, venit à Radice Bachar, elegit. &c.

Sol. Hæ ſunt meræ apinæ, & nugæ dignæ fronte Bellarminianâ: nihil enim hîc Pontificiis vel ſeritur, vel metitur: nam Saul fuit Electus ad regnum, non



Digitized by Google

ad gratiam; ad dominium temporale, non ad vitam æternam. Deinde, juvenes dicuntur Electi in S. Scriptura, quia ad militiam propter fortitudinem & animositatem eliguntur. sic Ecclef. 12, 1. Memento Creatoris tui in diebus Electionum tuarum; Hebraicè. (1) tempore electissimo & florentissimo quo optima tibi sunt eligenda.

Juventus est activū quid, nec potest quiescere, ideoq; eliguntur ad bella & labores. Arist.

2. Tob, (ut omnibus innotescit, qui linguam Hebraicam vel à limine salutârunt) est nomen Homonymum; & significat bonum, jucundum, utile, suave, *pulchrum & formosum* & hâc postremâ significatione Saul dicitur Bonus, (1) pulcher & præstantior reliquis quoad externam formam, non quoad internam gratiam; fuit enim procerus, & ab humeris sursum, altior toto populo: at fides non consistit in statura procera & pulchra: nam formosissimus fuit Absolom, proinde distinguendum est;

Aliquis dicitur Tob { Physicè, Ethicè, vel Theologicè.

Saul fuit Bonus. 1. Physicè, quia fuit illi insignis corporis forma & figura. ita vertitur Tob, Gen. 6, 2. 2. Sam. 11, 2. Hest. 2, 7. 2. Ethicè & moraliter, propter morales nonnullas & Heroicas quas habuit

virtu-

virtutes. 3. At Theologicè non fuit, quia defuit illi interna ſanctitas.

2. Urgent. 1.Sam.6,7.9,10. ubi dicitur Spiritu Dei deſcendiſſe (ſive irruiſſe) ſuper Saul, & converſum fuiſſe eum in alium virum. Unde ſic argutantur.

Quisquis habet Spiritum Dei, ille eſt filius Dei [juxta Paulinum illud. Rom. 8, 14.] & per conſequens verè fidelis:

At Saul habuit Spiritum Dei, &c.

Sol. Reſpondeo ad Majorem. Spiritus Dei accipitur bifariam in Scripturis 1. pro donis officii, Metonymicῶs, ut pro prudentia, fortitudine, & Prophetia; & hoc Spiritu imbutus fuit animus Saulis: nam ῥητῶς dicitur, Spiritum Dei deſcendiſſe ſuper Saul, *ut donum prophetandi* in illum conferret. v.6. non ut ſanctificaret eum.

2. Spiritus Dei accipitur, pro Spiritu regenerante, renovante, & ſanctificante, & hoc caruit Saul; fuit enim Hypocrita & reprobus. Habuit itaque Spiritum regium & Politicum ad gubernandum, nō Spiritum regenerantem ad ſalutem. Habuit gratiam (ut loquuntur Scholaſtici) gratis datam (1) dona communia SS. at non gratiam gratum facientem. Proinde non ſequitur, Saul habuit Spiritum, Ergo habebat Spiritum Regenerantem, eſt fallacia conſequentis.

Receſſit à Saul Spiritus Dei, nō Spiritus gratiæ juſtificantis ſed Spiritus regiæ fortitudinis & prudentiæ, quo ante de privato homine ad tanta regni gubernacula repentinâ mutatione comparatus eſt. Abbot.

At

At regerunt. Qui verè pænitens eſt & convertitur, ille habet Regenerationis Spiritum: At Saul fuit verè pænitens, nam converſus fuit in alium virum. v. 6.

Modeſtia, humilitas, juſtitia, & patientia, olim in Ethnicis quoque regibus fuere conſpicuæ.

Sol. Loquitur ibi Samuel non de vera converſione, ſed de virtutibus Moralibus. vid. de magnanimitate & prudentia ad bella gerenda, & populum gubernandum. q. d. Majorem accipies ſapientiam & magnanimitatem, ex ruſtico fies civilis, politicus, regalis, quia indues animum heroicum & regium.

3. Ob. David petit Spiritum novum, & ne Deus auferat à ſe S.S. Ergo penitus amiſit eum.

Non dicit S.S. da mihi, ſed ne auferas à me. Aug.

Sol. Non ſequitur, imò valet conſequentia à deprecatione ablationis ad præſentiam potius, quàm à precatione renovationis ad abſentiam Spiritûs: nam auferri non poteſt quod nullo modo adeſt. Renovatio itaque quam petiit David, fuit Spiritûs non planè abblati, ſed graviter turbati, oppreſſi & mutilati: unde enim illæ preces, niſi à Spiritu precum? ſuffocata fuit in ipſo gratia Dei, non autem penitùs extincta; nam ſimul atque Nathan objurgat illum, fatetur ſe peccâſſe. Licèt fidem quoad actum ad tempus perdiderit; penitus tamen non extinxit, quia non eſt factus hoſtis Dei, nec fidei habitu & ſemine penitùs excuſſo, infidelis.

Inſt.

Inst. Nullus homicida & adulter possidebit regnum Dei. [1. Cor. 6, 9. 10. 1. Joh. 3,15.]

At David fuit homicida & adulter. Ergo.

Sol. Loquitur Apostolus de homicidis & adulteris impænitentibus in quibus peccatum regnat: at verè fideles resurgunt pænitentiâ. 2. Loquitur de habitu peccati, non de unico actu, astu Satanæ, & carnis imbecillitate, non sine luctâ commisso.

Inst. David per adulterium factus est membrum scorti, proinde absciderat se à Christo, juxta illud. 1. Cor. 6,15.

Sol. Quæ de facto ex abusu fiunt membra meretricis; jure tamen ac proprietate manent membra Christi. Licèt enim ipsi se, quantum ex se abscindant à Christo, & desinant esse membra Christi: Christus tamen jus suum nō amittet, quod tam magno pretio mercatus est; sed suos sibi recolliget ex dilectione illa, quâ quos diligit, in finem usque diligit: & per spiritum suum eos ad resipiscentiam sit reducturus.

4. Ob. Solomon fuit Electus & verè fidelis, At ille excidit à gratia totaliter & finaliter. Ergo.

Sol. Hoc Exemplum est omniū nodosissimum. Nego tamen Minorem, fatemur, Qui grave deliquium animi patitur, non

statim excidit è vita. V. Amesf. Acta Synodal. in fine c. 7. p. 378. &c.

mur, Solomonem lapsum fuisse mirabiliter & miserabiliter, at non totaliter; fædè, sed non finaliter: fuit enim in illo (ut in lapso Davide) semen & latens habitus gratiæ, licèt valdè obscuratus, & Idololatriâ suâ labefactatus. 1. Reg. 11, 4. 5. non itaque inficiamur eum fuisse magnum peccatorem; at ovis morbida est ovis, & homo leprosus est homo.

2. Salutem Solomonis voluit Deus esse dubiam, ut omnibus metum sanctum incuteret, ut mundi delitias & illecebras fugerent. at jubet charitas dubia in partẽ meliorem & mitiorem esse interpretanda, præsertim ubi probabiles (ut in hac controversia) exstant Rationes.

1. Fuit Solomon filius Dei. promittit Deus se fore illi patrem, & ipsum sibi fore filium. 2. Sam. 7, 14. 15. 16. & 1. Chron. 22, 10. unde sic ratiocinor. Omnes verè filii Dei salvantur (ut quamplurimis irrefragabilibus argumentis evincitur) at Solomon verè fuit filius Dei. Ergò.

2. Omnes Prophetæ sunt in cælo (teste Christo, Luc. 13, 28.) at Solomon fuit Propheta; nam tota Scriptura scripta fuit Prophetis & Apostolis tantùm. Ephes. 2, 20.

3. Deus ei non minatur abjectionem, sed paternam correctionem & pænam temporalem, 2. Sam. 7, 14. q. d. pænas

ab

ab illo exigam, ſed quales ab indiſciplinato filio exigit pater, qui id agit, non quod odio habeat, ſed ut illum ad officium & diſciplinam reducat.

4. Reſipiſcentiam oſtendit ſuam in libro Eccleſiaſtæ, quem librum haud ſatis animadvertunt qui Solomonem faciũt Reprobum; nam haud dubium eſt ab illo in perpetuam pænitentiæ memoriam, & teſtimonium conſcriptum eſſe, cujus rei in libro illo tam impreſſa ſunt veſtigia, ut non poſſim non mirari tam deploratam de illo opinionem cuiquam in mentem venire potuiſſe. Audiamus Paræum. *Conſtans Hebræorum (inquit ille) opinio eſt non improbabilis, Salomonem in ſenectute librum Eccleſiaſtem ſcripſiſſe, eoq; cum deploratione vanitatis omnium rerum reſipiſcentiam ſuam teſtatam feciſſe. Ob hæc & alia charitas nobis ſuadet ſtatuere, Salomonem finaliter reſipuiſſe, & non periiſſe.*

Solomõ inter damnatos & reprobos numeratur à Belarm. de Juſtif. l.3.c.14. Audiant qui non ceciderunt, ne cadant, audiãt qui ceciderunt, ut ſurgant.

5. Laudantur quidam quòd ambulârunt in viis Salomonis & Davidis. 2. Chron.11,17. ubi Solomon poſt mortem laudatur & annumeratur Davidi ut Rex pius.

6. Fuit ſcriptor Canonicus, & amanuenſis SS. at omnes hi fuere ſancti Dei homines. 2.Pet.1,20.

7. Fuit

7. Fuit dilectus à Deo, ideoque appellatur Jedidiah (1) dilectus domino. at quem diligit Deus, usque ad finem diligit. Dein dicitur Solomonẽ dilexisse Deum. 1. Reg. 3,3. amabat Jehovam ambulando in statutis Davidis patris sui &c. q. d. quanquam patiebatur populum sacrificare in excelsis; tamen in cæteris rectè colebat Jehovam, & amabat eum.

Prævenit eum Deus suâ gratiâ & donis, quia destinabat eum successorem Davidis, fabricatorem Templi, & Typũ Christi. à Lap.

8. Fuit Typus Christi, & illius ergò dilectus à Deo. 2. Sam. 12, 24. 25. ero illi pater (1) Solomoni ut filio ex gratia adoptato; Christo verò ut filio unigenito. Heb. 1, 5.

9. Promittit Deus se non ablaturum misericordiam suam ab illo. Inst. At per misericordiam intelligitur continuatio regni, non auferam regnum. 2. Sam. 7, 14. 15. Sol. Viperina est expositio quæ corrodit viscera Textûs: nam 1. promittit Deus se fore illi patrem. 2. Misericordiam suam non auferre ab eo. 3. Paternè eum corripere (patris enim est, non tantùm amare filium suum, sed etiam errantem castigare) 4. quasi mantissa additur regni continuatio usque ad Messiam.

Castigabo eum virgâ hominum. i. modum adhibebo castigationibus, ut patres cum castigant filios. Junius.

10. Lapsus est ex infirmitate humanâ, & nimia in uxores benevolentiâ, infatuatus enim fuit ab uxoribus Idololatricis: 1. Reg. 11, 4. tempore senectutis



Digitized by Google

*uxores* inclinaverunt cor ejus post Deos alienos. unde patet, eum non ex destinatâ malitia aut odio Dei, sed in gratiam uxorum cultum externum Idolis ad tempus obtulisse: non tamen corde à Deo penitus recessisse.

Quod si Adamus ab una uxore ita impulsus est ut caderet; quî Salomon obstare potuit, cum à mille circumveniretur? cum itáq; causa tanti lapsûs fuere uxores Salomonis Idololatræ quas ardentissimè amabat: Discendum est hîc, quàm cavendæ sint feminæ; amor enim earum est insuperabilis, & quidvis licèt pretiosissimum & scelestissimum ab amasiis extorquent suis: fuge ergo illas, quia nec sapientior es Salomone, nec fortior Sampsone, nec sanctior Davide, qui omnes per feminas ceciderunt.

Rex sapientissimus amore mulierum infidelium dementatus, externo gestu potius, quàm ex animi sententia & affectu, fuit Idololatra. Wendelin. Exercit. Mulier est viscus toxicatus, quo diabolus aucupatur. August. Sirenes sunt usq; ad exitium dulces.

Problema illud, An Salomon sit damnatus? fusè ventilatum est, à Pet. Martyr. in 1. Reg. 11, 41. & ab à Lapide in 3. Reg. 11, 7. 13. & à Sharpio in Symphon. p. 229. ☞

5. Ob. Acriter urgent Exemplum Petri. Petrus fuit verè fidelis; at Petrus lapsu suo totaliter & finaliter excidit à gratia. Ergo.

Sol. Negatur minor. nam gradum licèt remiserit, & actum intermiserit, habitum tamen non amisit; motum in eo fuit

R spi-

spiritualis vitæ robur, non amotum; concussum, non excussum. permisit Deus ut sursum deorsum velut in cribro verteretur, non tamen ut ejiceretur tanquam lapis inutilis, aut granum reprobatum. Cecidit itaq; gradu, non statu; folia decussa sunt, at vixit radix, & recondita habuit fidei semina. Semper fuit sub cœlo, & in manu omnipotentis Dei, adeò ut non defecerit fides in corde, tametsi defecerit confessio in ore. Perdidit itáq; Petrus confessionem fidei, non ipsum fidem, ut rectè Bellarm. è Gregorio qui hac in re respondeat Bellarmino, Dominus (inquit ille) hoc privilegium pro Petro impetravit, ut ipse non possit unquam veram fidem amittere, quantumvis tentaretur à Diabolo.

Petrum quæ corde tenuit, voce negavit. Greg. Moral. l. 25. c. 11. Bell. de Rom. Pontif. l. 4. c. 3. 8.

Inst. At graviter lapsus est, & fides ejus totalem passus est ecclipsim.

Sol. fatemur Petrum graviter peccâsse sed ex infirmitate, non ex destinata malitia & contemptu Dei; non libenter & ex animo, nec pleno voluntatis consensu; sed & carnis imbecillitate & metu periculi, contra propositum animi: ideóq; doluit, ingemuit & amarè flevit. 2. fides ejus passa est ecclipsin, sed non totalem, nam pro eo rogavit Christus, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σου. ne fides ejus deficiat. Luc. 22, 32. at precatio Christi semper fuit efficax & audita. Joh. 11, 42.

Inst.

Digitized by Google

Inst. At Petrus ad fidem convertendus fuit, Ergò fidem priùs amiserat.

Sol. Negatur argumentum. nam Petrus ab infidelitate ad fidem non fuit convertendus, quia fidem non amiserat; sed convertendus & conversus fuit à peccato negationis Christi, ad Christi confessionem, à timore ad confidentiam, & à seipso ad Dominum.

Inst. At Petrus amisit charitatis gratiam, etsi non fidem.

Sol. fides Petri fuit fides justificans (ut liquet. Matth. 16, 17. 18.) at vera charitas à fide justificante non magis separari potest, quàm ignis ab ardore, aut sol à splendore. Charitatem & fidem Petri fuisse infirmatam concedimus, at prorsus defecisse, negamus.

Videt in te Deus, non fidem fictam, non dilectioné aversam, sed constantiam fuisse turbatam; abundavit fletus, ubi non defecit affectus, & fons charitatis lavit verba formidinis. Leo de Pas. Dom. Serm. 9.

6. Ob. Judas fuit verè fidelis (teste Bellarmino) nam Christo datus erat à patre, & à Christo fuit Electus. Joh. 17, 12. At ille totaliter & finaliter excidit, ideoque appellatur filius perditionis.

Judas proditor etiamsi solus esset, exemplo suo omni ųora obstrueret, nam fuit justus Joa. 17. 12. Bellarm.

Sol. Impertinentia nihil probant, hocque gratis dicitur, non probatur imò luce meridianâ clarius est, Judam fuisse Hypocritam, immundum, furem & diabolum [Joh. 6, 64. 70. & 12, 6. & 13, 18.] fuit

illi gratia gratis data, non gratia gratum faciens: at τὸ ζητούμενον est de verè fidelibus, non de hypocritis

Inst. At dicitur Electus & Christo datus.

Electus fuit Judas, sed ad opus cui congruebat, electus est ab eo qui malis bene uti novit. Aug.

Sol. fatemur, datus est, & non datus; datus est ad Apostolatum, non ad vitā æternam; ad Ministerium temporale & munus Apostolicum, non ad gratiam spiritualem: ut Christo inserviret, non ut per eum servaretur. nam Ecclesiæ officia tàm reprobis quàm Electis dantur. Hinc Judas terminis nuncupatur, * perditionis filius. Joh. 17, 12. custodivi quos dedisti mihi [ad salutem & vitam æternam] & nemo ex iis periit, * nisi filius perditionis (1) sed filius ille perditionis Judas, quem tu æterno tuo consilio ad exitium destinâsti. ita Nisi, quàm sæpissimè vim habet cōjunctionis adversativæ, & significat, Sed, ut videre est. Matth. 12, 4. Luc. 4, 27. Gal. 1, 7. & 2, 16. at lis est, de filiis dilectionis, non de filiis perditionis: hi enim à fide vera excidere non possunt, quia eam nunquam habuerunt.

(1) filius perditus, & spei omninò deploratæ. Hebraism.

εἰ μὴ, non semper exceptivam, sed sæpè adversativam vim habet, nec per diminutionē, sed per oppositionē exponenda est. Abbot.

Inst. Bellarm. At fuit unus è grege Christi.

Sol. Estò; sed specie, & externâ tantùm professione; non internâ gratiâ; fuit enim lupus, non ovis Christi.

Inst. At audivit cum reliquis, sedebitis vos qui me secuti estis, super thronos duodecim, Matth. 19, 28.

Sol.

Sol. audivit fortasse, sed non sibi. Joh.13,18. nec dicit Christus, Vos duodecim, sed vos qui me secuti estis; at Judas nō cordē, sed corpore sequebatur Christū.

7. Ob. Simon Magus fuit verè fidelis, quia dicitur credidisse. Act.8,12.13. At ille excidit à fide totaliter.

Sol. Hæc nebula nullo negotio difflatur. constat enim Simonem fuisse Hypocritam credentem fide temporaria & simulata; non fide salvificâ; ore, non corde. v.21. cor ejus non fuit rectum.

8. Ob. quidam dicuntur circa fidem & bonam conscientiam naufragiū facere, ut Hymenæus, Alexander, Philetus. [1. Tim. 19, 20. & 4,1. & 6,10. & 2,2.17.18.] At hi fuere verè fideles.

Sol. Negatur Minor. fuere enim hi hypocritæ rancidi, ut videre est. 2. Tim.2,17. & 4,14. ideoque ex horum Apostasia, perperam elicitur Sanctorum Apostasia.

2. Est purus-putus Parologismus in voce fides: Loquitur enim Apostolus nō de fide justificante; sed de assensu & professione doctrinæ Evangelicæ. Loquitur de fide *qua creditur* (1) de doctrina fidei seu Evangelio cui creditur. Rom. 1, 5.8. Gal.1,23. Act.6,7. non de fide *quâ creditur* verè & sincerè. fides verò cujus naufragium fecerunt Hymenæus &c. fuit fides Historica, temporaria & Hypocritica,

Non exciderunt à fide verâ quam nunquam habuerunt; sed fidei tantùm doctrinam, quam fictâ & hypocritica fide receperant, abjecerunt, & fidem temporariam amiserunt. Zanch.



Digitized by Google

tica, non vera & ἀνυπόκειτ۞.

Inst. Fuit vera fides quippe adjungitur ei bona conscientia, & quomodo naufragaverunt (inquit Bellarm.) qui in navi nunquam fuerunt?

Sol. Hi naufragaverunt à fide eâ quã abjecerunt (1) à fide historica & temporaria; nam deinde, fuerunt in navi Ecclesiæ secundum externam professionem & apparentiam quam naufragando deperdebant.

Ad tempus tantùm habebant puritatem doctrinæ, & studium sanctæ vitæ.

2. Eveniat ut irregeniti habeant conscientiam quæ aliquo modo *Bona* dici possit. Phil. 3, 6. quamvis non verè purgatam sanguine Christi, idque non tantùm quoad apparentiam & formam; verùm etiam quoad rem ipsam inchoativè & comparativè, si comparatio instituatur cum illa conscientia quam posteà sibi compararunt.

9. Ob. Ab Exemplo Demæ sic argutantur: Qui postquam verè credidit, relabitur ad amorem præsentis seculi, is deficit totaliter à fide. Sed Demas postquam verè credidit, relapsus fuit ad amorem præsentis seculi. Ergo.

Sol. Minutias has minimè moror, frivolum enim est hoc delirantis cerebelli somnium. Breviter itaque respondeo.

1. De-

Digitized by Google

1. Demas fuit Hypocrita qui incæpit Spiritu, & benè vixit inchoativè, non perfectivè; nam (si credamus Dorotheo) profectus est Thessalonicam, ut fieret ibi Sacerdos Idololatricus. Senserat fortasse Christi ministros labore & inopiâ premi, contulit itaque se ad capessendum Sacerdotium inter Idololatras, ubi spes major tranquillitatis & utilitatis illi affulserat. Caruit radicatâ fide, ideoque labescebat Joh. 2,19.

Maluit molliter quiescere & deliciari in seculo, quàm cum Paulo periclitari pro Christo. Rolloc. in Colos. 4, 14.

2. Distinguendum est, Apostasia est duplex, vel Totalis, vel Partialis; Apostasia Demæ (ut censent * nonnulli non infimæ notæ Theologi) fuit tantùm partialis: diligebat enim mundum plusquam decebat eum; & hujus vitæ commodorū amore ductus, Paulum quando non oportuit, reliquit ad tempus, & abiit Thessalonicā, sive ut rebus suis privatis illic vacaret, sive ut à periculo imminente posset abesse. Est certè aliqua graduum & modorum varietas in dilectione mundi. An non aliqua dilectio mundi meliùs consistere potest cum fide, quàm abnegatio Christi? Culpæ itaq; hujus Demam pænituisse colligunt, è Philem. 24. & Colos. 4, 14.

Calvin. Beza. Ames. Grotius.

Turpe sanè tali viro, Christum amori seculi posthabuisse, neq; tamen cogitandum est, cum abnegato prorsus Christo, iterum se vel impietati, vel illecebris mundi addixisse; sed tantùm privata sua commoda vel suam securitatem Pauli vitæ prætulerat. Calvin.

Restant aliæ nonnullæ offuciæ, ejusdē pigmēti, sed hæ sunt palmariæ; & his eversis, reliquæ ruunt sine molimine.

CORO-

Digitized by Google

De prædestinatis verum esse infallibiliter, quòd gratiam finaliter & in perpetuum non amittant. Unde postquam semel gratiam habuerint, ita regũtur & proteguntur à Deo, ut vel non cadant, vel si ceciderint, resurgant; & ut licèt sæpiùs cadant & resurgant, tandem aliquando ita resurgant, ut ampliùs non cadant. Suarez. de perpetuitat. Grat. l. 11. c. 2. sect. 6.

Hanc de perseverantia Sanctorum doctrinam abjicere non possumus, quin simul omnem consolationis nostræ certitudinem convellamus, ac summum fidei nostræ articulum expungamus, quo profitemur nos credere vitam æternam. Scultet. in Heb. 6.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Regia

Digitized by Google